



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1693**

Cap. VI. Methodus recurrenti ad S. Pœnitentiarium ejusque literas  
exequendi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

tuntur hi quoq; prævio concursu in præsentia Regentis & Correctoris; Eorum Officium est describere supplicatines in charta pergamena, quas deinde tradunt Procuratoribus expediendas.

*Vestrius l. 1. c. Marcus Paulus Leo in præxi c. 1. Lunador. in relat. De Luca disc. 12. Rel. Rom. Cur.*

C A P U T VI.  
M E T H O D U S.

Recurrendi ad S. Pœnitentiariam, ejusque Literas legendi, intelligendi, & exequendi pro casibus, quorum absolutio seu dispensatio ab hoc Sacro Tribunali impetratur.

Extracta ex Praxi Marci Pauli Leonis è Societ. JESU, Manuductione Tiburtii Navar Ordinis Minorum S. Francisci Strict. Observantia, & Instructione Parochorum & Confessariorum edita Romæ Anno 1689.

*Episcopis, Superioribus, Regularibus, Pœnitentiariis, Confessariis & Pœnitentibus perquam utilis.* Pars

## P A R S I.

*De modo scribendi, & recurrendi ad  
 Sacram Pœnitentiarium in casibus  
 S. Sedi reservatis.*

CUM sæpè sit experientia compertum  
 plurimos utriusque sexus Christi  
 deles, & præcipuè in longinquis de  
 gentes, censurarum vinculis, votorum  
 obligationibus, Matrimoniorum impe  
 dimentis, nec non irregularitatum, &  
 casuum quoquo modo reservatorum  
 gaminibus astrictos ad S. Sedem, ejusque  
 S. Pœnitentiarium spectantibus irretitos  
 in illis lacrymosè persistere, & conti  
 nuis conscientiæ agitationibus laboriosè  
 perdurare, cujus mali causas ex similibus  
 provenire innotuit.

Primò eo quòd Parochi, vel alii, ad  
 quos hujusmodi Pœnitentes recurrere  
 contingit, in Pagis, aut locis ruralibus  
 degunt, & viam modumque recurrendi  
 ad præfatam S. Pœnitentiarium ignorant  
 nec aliquem Romæ agnoscunt, ad quem  
 supplicationes dirigant, unde pœniten  
 tes perplexos dimittunt, quibus, cum  
 ad Ordinarium accedendi (scœminis præ  
 fertim) verecundia, aut timor aditum  
 intercludat, consilium ulterius requirere  
 nescientes, remedium desperant, & in  
 præ

præd. vinculis, obligationibus, impedimentis, inhabilitatibus, & casibus reservatis, cum periculo damnationis infordescunt.

2. Evenit, quod Pœnitentes egeni recognitionem pro sollicitatione, & labore Agentium Romæ commorantium, exolvere non valentes, inconsolati, ac conscientia motibus concussi, in periculoso statu manere coguntur, & fortè (quod pejus est) sibi persuadent, Sacrae Pœnitentiariae Tribunal aliquid lucri pro litteris prædictis recipere, cum revera Pœnitentiariae Ministri, nec aliquid quamvis minimum, nec etiam spontè oblatum unquam recipiant, & gratis omnia exhibentes, singulos ad se recurrentes, serenâ fronte complectantur.

3. Accidit etiam nonnunquam per inadvertentiam exponentium, ut gratia juxtâ exposita obtentâ, irritâ evadant, eò quia casus, & circumstantias necessarias reticeant, undè fit, quod literarum executores, casu postea Pœnitentium examinato, rem aliter se habere, quam expressum fuerat, comperiant, & gratias subreptitias aut obreptitias esse inveniant, quarè Pœnitentes confusi remanent, & spe novæ dispensationis se carere putantes, in prædictis vinculis, obli-

obligationibus, &c. miserabiliter remanent.

Quare gratum DEO, & utile fidelibus futurum esse speratur, si iste modus recurrendi ad ipsam Sacram Pœnitentiariam proponatur.

Confessores itaque, cum Pœnitentia vinculis præfatis irretitos ad se accedere contigerit, casuum qualitates, & præfatorum casuum circumstantias considerent, causasque dispensationum, aut commutationum expriment, & caveant, ne quod occultum est, publicum faciant, præsertim impedimenta occultæ matrimoniorum, nam publica, vel ad publicum redacta, non pertinent ad S. Pœnitentiariam.

Et sic præfati Confessores Pœnitentia poterunt casus præfatos cum dictis circumstantiis, & causis exponere, sive latino, sive quocunque alio idiomate propria regionis, nam S. Pœnitentiaria suorum ex quacunque regione Pœnitentiariorum subordinatos habet, & expriment infirmo per in fine expositionis casus nomen cognomen, cui sit à S. Pœnitentiaria rescribendum, etiamsi ipsum nomen, & cognomen sit fictitium. Itemque modum, per quem responsio secuta dirigatur possit, significando scilicet vulgari nomine

mine Oppidum, seu Civitatem, & Regionem, cum data mensis & anni in hunc modum.

*Intus incipiant Epistolam, seu supplicationem sic:*

*Eminentissime, & Reverendissime Domine.*

N. Mulier emisit votum simplex castitatis, manet in periculo incontinentiæ, nisi nubat, supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi matrimonium.

*Terminent Epistolam, seu supplicationem sic.*

Dignetur Eminentia vestra rescribere ad N. & N. & exprimant nomen, & cognomen, cui est rescribendum; ad Civitatem N. exprimendo nomen Civitatis. Per Oppidum N. exprimendo vulgari nomine nomen Oppidi, & dirigere Breve, seu gratiam simplici Confessario, seu Confessario Magistro in Theologia, sive decretorum Doctore, sive Parocho, cui Pœnitens aperuit suam conscientiam, ne ipse Pœnitens, & præsertim foemina cogantur circumire pro executione gratiæ S. Pœnitentiariæ. Dirigant Epistolam, seu Supplicationem scribendo extra, seu à foris in hunc modum:

*Emi-*

*Eminentissimo, & Reverendissimo Domino, Domino Cardinali Majori Pœnitentiario.*

*Romam.*

Et si tardaverit responsio, Confessarii rescribant, ne fortè sit deperdita, & nunquam desperent Pœnitentes.

*Hæc juxta Exemplar Romæ impressum anno 1689*

## P A R S II.

*De modo legendi & intelligendi Literas S. Pœnitentiariæ.*

### §. I.

**Modus legendi Literas sacræ Pœnitentiariæ.**

#### I.

**B**revium legendorum duplex est difficultas, vel ob Characteres Gothicos, vel ob abbreviaturas.

2. Ad primam tollendam submittuntur hîc formæ Commissionum cum clausulis generalibus, quæ ferè in singulis Brevibus continentur.

*De formis Commissionum.*

3. Commissiones dirigi solent pro dignitate materiæ, vel ad Ordinariorum quonominem etiam veniunt Prælati Regula

gulares respectu suorum subditorum, vel ad alios Confessarios.

4. Directæ ad Episcopos sic foris inscribuntur :

*Venerabili in Christo Patri Episcopo, seu Archi-Episcopo, seu Patriarchæ N. N. sive ejus Vicario in spiritualibus Generali.*

Intus verò sic incipiunt :

*Venerabili in Christo Patri Episcopo N. sive ejus Vicario in Spiritualibus Generali.*

*Leander miseratione Divinâ Tit. SS. Nerei & Achillei S.R.E. Presbyter Card. Coloredus, salutem & sinceram in Domino charitatem.*

5. Directæ ad Prælatos Regulares sic foris inscribuntur :

*Religioso viro Provinciali Ord. N. Provincia N. vel Religioso viro cuicumque Superiori, cujusvis Ordinis à Sede Apostolica approbati.*

Intus ut supra præmissis nomine Majoris Poenitentiarum.

6. Directæ ad alios Confessores sic inscribuntur :

*Discreto viro Confessori Magistro in Theologiâ, vel decretorum Doctore ex appro-*

*gula*

approbatis ab Ordinario per latorem presentium ad introscripta specialiter eligendo.

Intus vero sic incipiunt :

*Leander miseratione Divinâ Tit. SS. Nerei & Achillei S. R. E. Presb. Cardinalis Coloredus.*

*Discreto viro Confessori Magistro in Theologia, vel decretorum Doctore ex approbatis ab Ordinario per latorem presentium ad infra-scripta specialiter eligendo salutem in Domino.*

7. In directis ad simplices Confessarios non additur nomen Magistri, aut Doctoris. Si vero Commissio fiat pro aliquâ Moniali dicitur: *Confessori ex approbatis pro Monialibus.*

*De Clausulis generalibus.*

8. Post Commissiones sequuntur Clausulæ, quarum prima est petitionis sic:

*Pro parte NN. latoris presentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias.*

9. Sequitur narrativa, & post hanc Clausula postulationis sic:

*Cum autem, sicut eadem petitio subjungebatur dictus lator. Post istam Clausula*  
sup

supplicationis, hoc modo: *Quare supplicavit humiliter, ut sibi super hoc de opportuno remedio providere dignaremur.*

10. Et demum Commissio ipsa cum suis clausulis:

*Nos igitur, qui Pœnitentiariae Domini Papæ curam gerimus hujusmodi supplicationibus inclinati; Auctoritate Apostolicâ specialiter Nobis concessâ: Discretionis tuæ. Vel, si committantur Episcopo: Circumspectioni Vestrae committimus, quatenus si ita est. Continuatur dispositiva, & concessio Gratia, & in fine post verbum: Absolvas, vel dispenses, ponuntur hæ clausulæ: in foro Conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, neque ullo alio modo. Quæ clausula extenditur aliquando ad hanc aliam clausulam: Ita quod hujusmodi absolutio, & dispensatio in foro Judiciario nullatenus suffragentur, & hæc iterum aliquando ad hanc aliam Clausulam: Nullis super his testibus adhibitis, seu literis datis, aut processibus confectis, sed presentibus laniatis, quas sub pœna*

excommunicationis lata sententia la-  
niare tenearis. Ita ut nullum earum  
exemplum extet, neque eas latori re-  
stituas, quod si restitueris, nil ei pra-  
sentes litterae suffragentur. Datum  
Romae apud &c. sub sigillo Officii Pœni-  
tentiariæ &c. Pontificatus &c.

Breviaturarum Communium  
in Literis Sacræ Pœnitentiariæ  
apponi solitarum explicatio.

## A.

Archieꝑus	Archi-Episcopus.
Alr	Aliter.
Als	Alias.
Alsolūo	Absolutio.
Aplica	Apostolica.
Appbatis	Approbatis.
Autte	Auctoritate.

## C.

Cardlis	Cardinalis.
Canicè	Canonicè.
Cen.	Censuris.
Circumpeoni	Circumspectioni.
Xꝑus	Christus.
Confeóne	Confessione.
Confeóri	Confessori.

Coioñe                      Communione.  
Consciã                    Conscientiã.  
Constituõibus          Constitutionibus.

D.

Discreõni                Discretioni.  
Dispensãõ                Dispensatio.  
Dñus                        Dominus.

E

Eiccã                        Ecclesiã.  
Effús                        Effectus.  
Exit                         Existit.  
Ecclis                        Ecclesiasticis.  
Epús                         Episcopus.  
Excõe                        Excommunicatione

F.

Fr                            Frater  
Frum                        Fratrum.

G.

Gñali                        Generali.

H.

Huñoi                        Hujusmodi.  
Humilr                      Humiliter.

I.

Infraptum                Infra scriptum.  
Irregultẽ                 Irregularitate.

N 2

Igr

Igr̄	Igitur.
Intrópta	Introscripta.
	L.
Lia	Licentia.
Lt̄ima	Legitima.
Lræ	Literæ.
Litè	Licitè.
	M.
Mrimonium	Matrimonium.
Magr̄o	Magistro.
Miraone	Miseratione.
Mir̄	Misericordia.
	N.
Nullt̄us	Nullatenus.
	O.
Ord̄io	Ordinario.
Ord̄inaoni	Ordinationi.
	P.
PP.	Papa.
Pr̄	Pater.
Pont̄us	Pontificatus.
Pt̄us	Præfatus, seu Prædictus.
Ptur	Præfertur, seu Prædictus.
Pntium	Præsentium.
Pbter	Presbyter.

Pbricida Presbytericida.  
Pœnia Pœnitentia.  
Pœniaria Pœnitentiaria.  
Pœe Posse.  
Pror Procurator.

Q. Q. Quatenus.  
Qñus Quatenus.  
Qmlbt Quomodolibet.  
Qd Quod.

R. R. Regulari.  
Relari Regulari.  
Relione Religione.  
Roma Romana.

S. S. Sanctæ  
Sntæ, vel Stæ Sanctæ  
Saluri Salutari  
Sentia Sententia.  
Spealr Specialiter.  
Supplionibus Supplicationibus.  
Spualibus Spiritualibus.

T. T. Tamen  
Tñ Tamen  
Tm Tantum.  
Thia, vel Teolia Theologia.  
Tli Tituli.

N 3

V.

V.

Venerabili

Venerabili,

Vræ

Vestræ.

Notandum deinde in Literis S. Pœnitentiariæ non fieri virgulas, nec puncta, nec diphthongos, nec accentus, sed sensum colligendum esse ex lectione.

§. 2.

**Modus intelligendi Literarum S. Pœnitentiariæ per Inscriptiones & Clausularum communium explicationem.**

1. Inscriptio Literarum directarum ad Episcopos, vel eorum Vicarios Generales (quo nomine etiam intelliguntur Officiales) clara est, cum in iisdem pressè nominetur Civitas Diœcesis.

2. Cum vero in iis ordinariè non fiat mentio Sacramentalis Confessionis, non est necesse, ut lator Episcopo Sacramentaliter confiteatur; Neque etiam Episcopus subdeleget personam in dignitate Ecclesiasticâ constitutam. Si vero committat executionem alicui Confessario, debet is excipere latoris Confessionem Sacramentalem, & in ea literas exequi; Possitque Confessarius, si

sus esset publicus, de absolutione fidem publicam facere, ut constet in actis Cancellariæ Episcopalis ad effectum componendicum Fisco, & Parte.

3. Est etiam necessaria Sacramentalis confessio, si literæ indiscriminatim dirigantur: *Cuicunque Catholico Antistiti gratiam, & communionem Sedis Apostolica habenti.* Et tunc adire potest lator quemcunque Episcopum, Archiepiscopum, aut Patriarcham, dummodo non sit excommunicatus, suspensus, aut interdictus.

4. Inscriptio Literarum, quæ diriguntur ad Prælatos Regulares pariter est clara; Aliquando enim distinctè exprimitur Superior, aliquando inscribuntur cuicunque Superiori Ordinis à Sede Apostolica approbati, & tunc liberum est latori adire Superiorem, quemcunque volet. Hæ literæ esse solent pro utroque foro, nec fit in eis mentio Sacramentalis Confessionis, ideoque extra eam executioni dari debent, ut suffragari possint in utroque foro.

5. Inscripto Literarum, in qua dicitur: *Magistro vel Doctore* intelligenda est, ut Confessarius verè sit Magister & Doctor in aliqua Universitate; Nec sufficit

cit esse Theologorum vel Professore  
aut Lectorem in aliquâ Religione, nisi  
hæc tali privilegio gaudeat, aut nisi Præ-  
positus Generalis alicujus Ordinis, qui  
ejusmodi privilegium habet ( prout ha-  
bet Societas JESU) det facultatem ali-  
cui Religioso Confessario, licet Doctore  
aut Magister non sit hujusmodi Literas  
aperiendi.

6. Additur in ea inscriptione: *Ex ap-  
probatis ab Ordinariis*, quia Confessa-  
rius debet esse actu approbatus ab Or-  
dinario loci, in quo fit executio litera-  
rum. Religiosus eligendus Confessarius  
sufficit, ut sit approbatus à Superiori-  
bus sui Ordinis. Pro Monialibus eligi de-  
bet Confessarius ex approbatis pro Mo-  
nialibus quamvis non esset pro illo Mo-  
nasterio, in quo degit Monialis. Ali-  
quando tamen dantur commissiones  
Confessariis ex approbatis ab Ordina-  
rio, etiamsi non sint pro Monialibus.

7. Quo ad clausulas communes, prima  
est: *Quatenus si ita est*, cujus verus  
sensus est hic, quod Confessarius debet  
principaliter attendere, an preces Pœ-  
nitentis veritate nitantur. Idest an cau-  
sa finalis, propter quam petitur, & ob  
quam tantum conceditur gratia, & sine  
qua

qua non concederetur, eo modo quo exponitur, verificetur. Hæc autem veritatis notitia, non per testimonia, aut per Scripturas, sed ex ipsa Pœnitentis assertione, cui debet credi, nisi de opposito constet, est accipienda.

8. Secunda clausula est: *Absolvās, scilicet in foro conscientia*, quia omnis absolutio, & dispensatio faciendā à Confessariis est pro foro conscientia tantum, & non suffragatur pro foro externo; Nisi absolutio sit ab excommunicatione pro publico delicto incurſa, & commissio facta sit Ordinario; Et nisi absolutio seu dispensatio Regularibus impertienda esset; Pro quibus Major Pœnitentiarius facultatem habet in utroque foro. Ubi tamen advertendum, si pro Regularibus literæ ad Confessarios dirigantur, solummodo in foro conscientia suffragari; De quo monendi sunt à Confessariis.

9. Tertia clausula est: *Et in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter*, vi cujus præmittenda est Confessio Sacramentalis, & faciendā ipsi Confessario literarum executori, alias absolutio, & dispensatio quæcunque foret invalida. Dantur enim aliquando

Com-

Commissiones pro absolutione tantum aliquando pro absolutione & dispensatione simul, aliquando pro dispensatione tantum, vel quia alias data est lateri absolutio, vel quia nihil est quod sit per absolutionem tollendum, ut in Irregularitate orta ex defectu natalium, in quocunque casu semper facienda est Confessio Sacramentalis Confessario executori litterarum. & licet nullum sit delictum in materia, pro qua literæ conceduntur, consistenda tamen sunt peccata, quæ in aliis materiis commissa sunt.

10. Confessione peractâ post absolutionem Sacramentalem à Censuris & peccatis proferenda est à Confessario forma Gratiae specialis, quæ per literas conceditur, ut dispensatio, vel commutatio, vel condonatio, vel dilatio, vel declaratio.

11. Reliquæ clausulæ satis per se patent, & accuratè observandæ sunt.

§. 3:

Quæ præmittenda à Confessario executioni Literarum S. Pœnitentiariæ.

I.

Confessarius antequam ad executionem literarum progrediatur, tria præstare, debet quæ per clausulas indicantur: Inquirere, injungere, & monere.

2. Inquirere primo à Pœnitente debet veritatem causæ finalis, seu an res ita sit. Deinde *an præmissa, seu exposita sint occulta*, quæ clausula si apponatur strictè observanda est, si enim delictum, impedimentum, irregularitas, aut inhabilitas publica sint aut famosa, literæ latori non suffragantur, nec dari debent executioni.

3. Occultum vero hic dicitur illud, quod à nemine, vel à tam paucis scitur, ut neque sit manifestum, neque notorium facti vel juris, ideoque licet aliquibus v. g. in communitate duobus vel tribus, in oppido quinque aut sex, in civitate septem aut octo notum sit, & licet sit secundum se probabile in judicio, dum interim non probatur, neque ad judicium

dicium defertur est adhuc occultum, dummodo ex circumstantiis non appareat, rem faciliè publicandam.

4. Porrò potest esse aliquid publicum materialiter, formaliter tamen manere occultum; Sic missa celebrata publicè ab excommunicato occulto, est actus publicus, & delictum materialiter publicum, formaliter tamen est occultum, cum excommunicatio, & consequenter Irregularitas, quam ob Celebrationem incurrit Sacerdos, sit occulta, adeoque potest executor delictum, vel pœnam ex eo secutam occultam judicare, & consequenter absolvere, vel dispensare.

5. Deinde fieri potest, ut delictum sit publicum etiam formaliter, pœna tamen delicti sit occulta; Si nimirum Parochus publicè excommunicatus coram Populo pagi sui celebret, qui iudicet id fieri non licere, & esse delictum; Sed nesciat contrahi per hoc Irregularitatem. Item potest esse quid publicum in uno loco, & occultum in alio. In his vero duobus casibus non debet Confessarius dispensare, nisi expressè in Literis S. Pœnitentiariæ detur eis facultas in huiusmodi occultis dispensandi; quamvis nec S. Pœnitentiaria soleat concedere

re

re gratias dispensationum in ejusmodi occultis in uno loco, quæ publica sunt in alio.

6. In injungendis verò Pœnitenti attendere debet Confessarius non solum ad delictum, seu impedimentum pro cuius absolutione, seu dispensatione committitur executio, sed etiam ad omnia alia, quæ ipsi in Sacramentali Confessione manifestantur. Et hæc obligatio intimatur nonnunquam Confessario in ipsis Literis per hanc Clausulam: *Et aliis injunctis quæ de jure fuerint injungenda.* Etsi non apponatur, ad eam tamen adstringitur Confessarius, cum ex naturâ actus Confessionis Sacramentalis sequatur.

7. Quæ specialiter injungunt Literæ, si pœnitens jam ante ea aut alia æquivalentia, aut majora præstiterit, aut idem delictum rite confessus condignam pœnitentiam acceperit, poterit illa Confessarius aut moderari, aut ad sufficienter præstita v. g. ad restitutiones, satisfactiones, pœnitentem non ulterius adstringere.

8. In injungendis quoque ex præscripto Literarum discretioni est locus, ut licet substantia injungendorum servanda sit,

fit, quantitas tamen & modus pendet à prudentia Confessarii, & petenda est ex ætate, statu, complexione & sexu pœnitentis, quibus consideratis, quæ ex se videretur levis pœnitentia, erit verè gravis, & delicto proportionata. Deinde quibus personis ob debilitatem, vel complexionem, vel aliam causam v. g. mulieribus debilibus, lactantibus prolem &c. non potest imponi unum genus Pœnitentiæ, quæ gravis reputatur imponi possunt duo, aut tria alia genera gravitatem illam respectu personæ constantia.

9. Cum injungitur pœnitentia gravis & diuturna, gravitas non sumitur ex diuturnitate, sed in se talis esse debet, ac præterea diuturna. Diuturnitas vero prudenter determinari debet juxta naturam delicti, & statum animæ pœnitentis. Possunt vero injungi quoque Pœnitentiæ opera consueta & alias debita.

10. Si præscribatur in Literis Pœnitenti Confessio Sacramentalis singulis mensibus instituenda, si non constet ex terminis ipsius Brevis obligationem debere esse perpetuam, relinquitur judicio Confessarii juxta exigentiam animæ Pœnitenti.

nitentis ad certum tempus eam extendere. Et si eleemosyna pœnitenti eroganda à Confessario juxta Breve imponenda est, attendenda est eum gravitate delicti, facultas pœnitentis, nunquam tamen eum omnino eximat Confessarius, cum in minimo salvetur substantia eleemosynæ.

11. Restitutiones & satisfactiones præscriptæ, discretè & diligenter à Confessario injungendæ sunt, & ita se in his casibus gerere debet sicut se gereret in Confessionibus aliorum pœnitentium, & non exigere à Pœnitente ultra possibilitatem ipsius, ideoque non dimittere eum absque absolutionis, aut dispensationis gratia, si inveniat eum nunquam restituere posse, sed obliget eum, ut alia servitia præstet ei, cui debet. Si veto in futurum aliquando satisfacere poterit, promittat aut juret, se id facturum.

12. Si etiam occasiones peccandi absque scandalo omnino removeri non possint, concedenda quidem est Pœnitenti dilatio aliavè remedia, quæ Doctores suggerunt, subministranda, non nimium tamen Pœnitentibus indulgendum, sed potius hac in re severè eum iis agendum est.

13. Mo-

13. Monendus est demum Pœnitens à Confessario observandam esse hanc Clausulam : *Et ita illum moneas, & tunc videndum bene.* Sive hæc clausula in Brevis exprimat, sive non, monendus est Pœnitens de effectu concessio- nis, seu gratiæ ipsi factæ.

14. Cum diriguntur literæ ad Ordina- rios, vel etiam Confessarios pro injec- tione manuum violenta in Clericum, aut forte pro alia, apponi solet hæc clausula : *Quod si dictus lator ordinationi, seu sententiæ dicti Ordinarii lata, vel ferenda parere contempserit in eandem excommunicationem relabatur.* Cujus clausulæ verus sensus ex infra dicendis patebit, nunc monere sufficit, ne Episcopus jubeat, aut præcipiat impossibilia aut valde difficilia.

### P A R S III.

#### De Formulis votorum.

Literæ S. Pœnitentiariæ quadru- plicem materiam concernunt:

1. Dilationes, commutationes, & dispensationes votorum.
2. Dispensationes matrimoniales.
3. Absolutiones & dispensationes diversas, quæ conceduntur

in utroque foro in materiis absolutio-  
num pro delictis publicis, quando fit  
Commissio Ordinariis. 4. Absolutio-  
nes, dispensationes & gratias, quæ con-  
ceduntur pro Regularibus, & Religio-  
nem ingredi volentibus, in utroque fo-  
ro. In hac parte de prima materia, vo-  
ta nimirum concernente, agemus. Vo-  
tum aliud simplex est, aliud solenne. Ad  
solenne non extendit se ordinaria S. Pœ-  
nitentiariæ facultas, ideoque hic tantum  
de formulis simplicia vota respicientibus  
agetur.

S. I.

*Modus exequendi Literas dilationis  
Voti Religionis.*

1. Dilatio Voti simplicis datur iis, qui  
ob impedimentum aliquod temporale id  
implere nequeunt, vel quia Parentes in-  
digent eorum operâ, vel quia sunt gra-  
vati ære alieno, vel quia tenentur red-  
dere rationes, vel quia infirmitate ali-  
qua impediuntur, quæ quidem dilatio,  
licet dari possit à quolibet Confessario,  
cum non sit ex reservatis Sedi Aposto-  
licæ, si tamen petatur à S. Pœniten-  
tiaria, sub hac formulâ concedi solet;

2. For-

2. *Formula Dilationis simplicis Voti Religionis.*

Leander Miseratione Divina Tituli SS. Nerei & Achillei S. R. E. Presbyter Cardinalis.

*Discreto Viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab ordinario, per latorem presentium ad infra scripta specialiter eligendo. Salutem in Domino.*

*Ex parte latoris presentium nobis oblata petitio continebat: Quod ipse alias simplex Religionis votum emisit. Cum autem, sicut eadem petitio continebat, lator predictus habeat Parentes suâ operâ & auxilio egentes; Idcirco pro suâ conscientia quiete cupit, sibi ad votum hujusmodi adimplendum dilationem per Sedem Apostolicam concedi. Quare supplicari fecit nobis humiliter, ut sibi super his de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur, qui Pœnitentiaria D. Papa curam gerimus, autoritate Apostolica*

*spe-*

specialiter nobis concessâ, discretioni  
tuæ committimus, quatenus, si est ita,  
dicto latori, auditâ prius ejus Sacra-  
mentali Confessione, a consideratis,  
quæ erunt consideranda circa statum, &  
continentiam latoris, ne sub pretextu  
alterius temporalis necessitatis maneat  
in periculo propriæ æternæ salutis, dila-  
tionem ad implendum votum pradi-  
ctum, durantibus necessitatibus Paren-  
tum, concedas, b dummodo illis cum  
effectu prosit, & interim vitam cœli-  
bem ducat, c & aliqua Religionis,  
quam vovit, quotidie faciat ad eum  
finem, ut ea adimplens, meminisse  
semper possit obligationis, qua hujus-  
modi voto adstringitur, prout secun-  
dum DEUM ipsius animæ salutis expe-  
dire judicaveris, in foro conscientia  
d & in ipso actu Sacramentalis Con-  
fessionis tantum, & non aliter, neque  
ullo alio modo, e ita, quod cessantibus  
necessitatibus Parentum præfatum vo-  
tum adimplere teneatur. Et ita il-  
lum moneas. Datum Romæ apud S. Pe-  
trum.

3. In his advertendæ sunt Clausulæ: *Prima a Consideratis quæ erunt consideranda*, per quam indicatur, ut Confessarius examinet veritatem causæ, & necessitatem postulatæ dilationis, ac deinde ponderet periculum spirituale peccantis, si remanet in sæculo.

4. Secunda clausula est. *b Dummodo illis cum effectu prosit, & interim vitam cælibem ducat*. Requirendum ergo à petente dilationem, quomodo prosit Parentibus, & monendus is est de cœlibatu servando, ut possit sublato impedimento votum implere.

5. Tertia est: *c Et aliqua Religionis, quam ingressurus est, quotidie faciat*. Non vero quælibet opera injungenda erunt, sed ea, quæ sunt congrua statui, possibilitati, & utilitati votentis. Si enim quis vovisset v. g. Societatem JESU ingredi, injungi ei posset onus quotidiani examinis conscientiæ, vel orationis mentalis, vel quid simile, quod commodè ab eo fieri possit, & cum fructu spirituali animæ adimpleri.

6. Quarta est. *d Et in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum*, intelligitur non physicè sed moraliter, ut peragatur immediatè post eam.

7. Quin

7. Quinta est: e Ita, quod cessantibus necessitatibus Parentum, præfatum votum adimplere teneatur. Monendus ergo Pœnitens non dispensatum in voto, sed concessam solum dilationem.

8. Post confessionem ergo Pœnitentis, & consuetam absolutionem à Censuris, & peccatis subjungat Confessarius:

*Insuper Auctoritate Apostolica specialiter mihi delegata, tibi dilationem ad implendum votum Religionis, quod emisisti, concedo in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti Amen.*

§. 2.

De Transgressione voti Religionis.

1. Qui emissio voto simplici ingrediendi Religionem contrahit matrimonium, peccat mortaliter, tenetur tamen in matrimonio manere. Absolutio vero à transgressione voti Religionis non est reservata Sedi Apostolicæ, si tamen ad eam recurat Pœnitens, ut possit debitum conjugale reddere, & exigere, Literæ sic expediuntur:

0 3

2. For-

## 2. Formula Transgressionis Voti simplicis Religionis.

Leander &amp;c.

Nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias, postquam Religionem ingredi voverat, Matrimonium in facie Ecclesie contraxit, & successive consummavit cum quadam muliere sua ad presens uxore. Cum autem, &c. Lator prefatus de premissis plurimum doleat, & in dicto Matrimonio remanere, & debitum conjugale reddere, & exigere licite posse desideret, pro sua conscientie quiete, cupit à transgressionem hujusmodi per Sedem Apostolicam absolvi, secumq; desuper dispensari: Quare &c. Quatenus, si ita est, dictum latorem (audita prius ejus Sacramentali Confessione) à transgressionem hujusmodi absolvas hac vice, in forma Ecclesie consueta, a injuncta ei penitentia salutari. b Ipsumque, si aliud Canonicum non obstat, in dicto matrimonio remanere, & debitum conjugale reddere & exigere posse declares in foro conscientie, & in ipso actu Sacramen-

mentalibus Confessionibus tantum, & non aliter, neque ullo alio modo. c Ita quod, si uxori supervixerit, eodem voto teneatur ut prius, & ita illum moneas. Datum &c.

3. Per clausulam: a *Injuncta ei pœnitentia salutari* relinquit M. P. arbitrio Confessarii qualitatem pœnitentiæ injungendæ, quæ consistit in orationibus, eleemosynis & jejuniis, quorum nomine veniunt omnia opera pœnalia.

4. Additur clausula: b *Ipsaque, si aliud Canonicum non obstet, in dicto matrimonio remanere, & debitum conjugale reddere & exigere posse declares*, nimirum ad tollendum omnem scrupulum Pœnitenti, ne per Conscientiam erroneam peccet.

4. Per clausulam: c *Ita quod, si uxori supervixerit eodem voto teneatur ut prius, & ita illum moneas*, injungitur Confessario, ut moneat Pœnitentem de obligatione adimplendi sui voti, si alteri comparti supervixerit. Quod si continenter vivere non possit, vel ob educationem prolium, aliamvè gravem ob causam illud adimplere nequeat, admonendus est, ut iterum recurrat ad Sacram

cram

cram Pœnitentiarum pro commutatione voti in alia pœnitentiæ opera. Quæ commutatio posset etiam peti cum absolutione à transgressione, si prævideret se non posse, casu quo Conjugi superviveret, votum adimplere, ne opus deinde sit denuo ad S. Pœnitentiarum recurrere.

5. Cæterum post absolutionem à censuris, & peccatis dicat Confessarius formulam declarationis sequentem :

*Deinde auctoritate apostolicâ, mihi specialiter delegata te, non obstante voto Religionis, quod aliàs emisisti in Matrimonio remanere, & debitum conjugale exigere, & reddere posse declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Passio Domini &c.*

### S. 3.

#### *De Transgressione voti Castitatis.*

1. Transgressio voti Castitatis non est reservata Sedi Apostolicæ ; Nec etiam dispensatio ad petendum debitum, quæ potest dari ab Episcopo, si tamen ad S. Pœnitentiarum recurratur, sequenti formula expediri solet :

*Leander &c.*

*Discreto Viro Confessori &c. Salutem in Domino. Ex parte Latoris præsenium nobis &c.*

Con.

Continebat, quod ipse aliàs simpliciter vovit  
Castitatem servare, deinde uxorem ad præsens  
viventem duxit. Cum autem dictus Lator de  
hujusmodi transgressione doleat, debitum Con-  
jugale exigere licitè posse desideret; Ideo pro  
sua conscientia quiete cupit per Sedem Apostoli-  
cam absolvi, secumque desuper dispensari. Qua-  
re supplicavit. Nos &c. discretioni tuæ com-  
mittimus, quatenus, si est ita, dictum Lato-  
rem, audita prius ejus Sacramentali Confessio-  
ne à transgressione hujusmodi absolvas &c. In-  
juncta ei pro modo culpæ pœnitentia salutari,  
ipsumque in dicto Matrimonio remanere, & de-  
bitum Conjugale reddere posse, & debere decla-  
res. Et cum eodem, quatenus de illius incon-  
tinentiâ timendum sit, ut idem debitum Con-  
jugale etiam exigere licitè valeas, etiam mi-  
sericorditer dispenses, in foro conscientia &c.  
Ita quod si Uxori supervixerit eodem voto te-  
neatur, ut prius obligatus, & si extra Ma-  
trimonium interim fornicatus fuerit, sciat se  
contra votum hujusmodi facturum, & ita il-  
lum moneas. Datum &c.

3. Clausulæ pleræque claræ, & non-  
nullæ ex supradiçtis patent. Ob istam: Et  
si extra Matrimonium interim fornicatus fuerit,  
sciat se contra votum hujusmodi facturum, mo-  
nendus est Pœnitens, quod etsi usum  
Matrimonii liberum habeat, si tamen  
for-

fornicetur, aut aliquid simile committat, contra votum castitatis facturum.

4. Modus declarandi & dispensandi juxta formam hujus Brevis hic post absolutionem consuetam esse poterit.

*Item Auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata te non obstante voto Castitatis quod emisisti, & transgressus fuisti in dicto Matrimonio remanere, & debitum conjugale reddere possis, & valeas tecum eadem auctoritate Apostolica dispensare. In nomine Patris, & Filii &c.*

5. Notandum, quod praxis executionis Literarum trium præcedentium capitum tenenda sit, ut æquitati consona, etiamsi absque Literis S. Pœnitentiariæ in dictis casibus procedatur ad Confessario.

#### S. 4.

##### *De Commutatione Voti Religionis.*

1. Commutatio voti Religionis fit ad S. Pœnitentiariam vel ob stimulos carnis ut possit Vovens licitè contrahere matrimonium, vel ob debilem illius complexionem, ut possit vitam cœlibem ducere in sæculo. Formula in utroque casu est eadem, exceptis præfatis duabus clausulis.

2. For

2. Formula Commutationis Voti simplicis Religionis.

Leander &c.

Discreto Viro Confessori salutem in Domino.  
Ex parte Viri Latoris presentium nobis &c. continēbat, quod ipse alias simpliciter vovit Religionem ingredi. Cum autem dictus Lator continenter vivere posse diffidat, ideo pro suae conscientiae quiete cupit sibi praefatum Votum ad effectum contrahendi matrimonium in alia Pœnitentiae opera per Sedem Apostolicam commutari. Quare supplicavit &c. Nos &c. discretioni tuae committimus, quatenus si est ita, dictum Latorē audita prius ejus Sacramentali Confessione à mutatione propositi absolvas &c. injuncta ei Pœnitentia salutari, sibi que votum praefatum ad hoc, ut matrimonium legitime contrahere, & in eo debitum Conjugale exigere, & reddere licite valeat (a) in Sacramentalem Confessionem semel quolibet mense (b) & in alia Pœnitentiae opera perpetua per te injungenda, (c) inter quae sint etiam aliqua Religionis, quam ingressurus fuisset, quae quotidie facere teneatur ad eum finem, ut ea adimplens meminisse semper possit obligationis, qua hujusmodi voto adstringebatur, prout secundum DEUM ipsius animae saluti expedire judicaveris, dispensando commutes in foro Conscientiae, alio modo &c.  
Datum &c.

3. In Clausulâ: (a) *In Sacramentalem Confessionem semel quolibet mense*, sumitur mensis secundum communem acceptionem, & cursum, ita ut vovens satisfaciât obligationi, si v. g. in principio Januarii, & postea in fine sequentis Februarii iterum confiteatur. Quod si cum commutatio fit, medietas mensis jam elapsa sit, censendum est mentem Majoris Pœnitentiarîi esse, non velle obligare voventem ad novam confessionem, in ea mensis extremitate, secus dicendum judicat Mar. Paul. Leo, si in principio mensis fiat commutatio.

4. Clausula: (b) *Et in alia Pœnitentia opera perpetua*, denotat primo non unum opus, sed plura injungenda esse; Deinde debere esse perpetua, non quidem continua, seu quotidiana, sed certis & statis temporibus injungenda, quia relaxatio voti per commutationem est perpetua.

5. (c) *Inter quæ sint etiam aliqua Religionis*, ea tamen quæ sint compatiblea cum statu conjugali, nec valde difficilia ad illorum executionem, quotidiana tamen; v. g. quotidie per breve tempus orationi vacare mentali vel vocali, facere examen conscientia, legere

gere librum aliquem spiritualem, audire sacrum,

6. Clausula: *Ad hoc, ut matrimonium legitime contrahere valeat ponitur in literis, quæ dantur nonnullis ad effectum contrahendi matrimonium. In aliis ad vitam cœlibem in sæculo ducendam ponitur: Dummodo vitam cœlibem ducat.*

7. Formula commutationis post absolutionem ordinariam talis subjungatur à Confessario:

*Et auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, Ego tibi votum Religionis, quod emisisti, in opera pietatis, quæ tibi præscripsi, dispensando, ad effectum licite contrahendi matrimonium, sive ad effectum remanendi in sæculo in vita cœlibe, commuto. In nomine Patris, & Filii &c.*

8. Formula Commutationis voti Religionis pro Clericis Ordine sacro insignitis.

Pro Clericis in sacris constitutis expediuntur Literæ absque mentione Matrimonii & Cœlibatus, sed hæ duæ clausulæ inseruntur:

9. Prima: *In frequentiam Sacramentalis Confessionis singulis scilicet hebdomadis, semel, vel quoties tibi videbitur. Debet ergo Executor illi imponere,*

nere,

nere, ut singulis septimanis peccata sua confiteatur, vel etiam sæpius, si ita expedire judicaverit.

10. Secundo: *Partem videlicet earum Pœnitentiarum, quas Regulares Ordinis, quem vovit, ex præscripto ipsius Ordinis abstinentiis, vel jejuniis, aut interioribus indumentis subire solent.* Ea vero pœnitentiæ opera imponat Executor, quæ spectata qualitate voventis, facillioris sunt executionis. Abstinentiæ, prout contradistinguitur à jejunio, accipitur pro quacunque privatione cuiusvis cibi, moderatoque ciborum usu. Jejunium hic sumitur Ecclesiasticum. Interiora indumenta sunt: Cilicia, catenulæ ferreæ, & similia. Horum unum, vel aliqua imponere sufficit, hoc enim importat particula: *Vel*, non est necesse omnia imperare.

11. Præter hæc non quotidiana, imponenda sunt aliqua quotidiana, & prudentiæ Confessarii relinquuntur. Hæc esse possent: Recitatio Litaniarum B. M. V. cum examine conscientiæ, vel Commemoratio S. Fundatoris Ordinis.

§. 5.

*De Voti Castitatis Commutatione.*

1. Commutatio Voti Castitatis fit, vel ob stimulos carnis, vel ad conservandam nobilem familiam, vel quia mulier, licet non patiatur stimulos, est in periculo amittendi pudicitiam, utpote quia pauper est & pulchra, vel orbata parentibus, aliasve ob causas. Literæ S. Pœnitentiariæ sic expediuntur.

2. *Formula Commutationis Voti Castitatis.*

Leander &c.

Discreto Viro Confessori &c. Salutem in Domino. Ex parte Viri Latoris præsentium nobis &c. continebat, quod ipse alias simpliciter vovit Castitatem servare. Cum autem dictus Lator continenter vivere posse diffidat; Ideo pro suæ Conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam sibi votum præfatum ad effectum contrahendi Matrimonium in alia Pœnitentiæ opera commutari; Quare supplicavit, &c. Nos &c. discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita dictum Latorem, audita prius Sacramentali Confessione à mutatione propositi absolvas, &c. Injuncta ei Pœnitentiâ salutari sibi que votum præfatum ad hoc tantum, ut matrimonium legitime contrahere, & in eo debitum Conjugale exi-

exi-

exigere, & reddere licite possit, dispensando, commutes in Sacramentalem Confessionem semel quolibet mense, & in alia Pœnitentiæ opera per te injungenda tam diu duratura, quamdiu commutationi præfata locus erit. Inter quæ sint aliqua pietatis, quæ quotidie facere teneatur, ad eum finem, ut ea adimplens meminisse semper possit obligationis, qua hujusmodi voto adstringebatur, prout secundum DEUM ipsius anime saluti expedire judicaveris in foro Conscientiæ & alio modo &c. Ita quod, si mulieri cui conjugetur, supervixerit, Castitatem servet, ut pote eodem voto, ut prius obligatus, & si extra Matrimonium fornicatus fuerit, aut mortua dicta Muliere, aliud matrimonium contraxerit, sciat se contra votum hujusmodi facere, & debitum conjugale exigere non posse, & ita illum morneas. Datum &c.

3. Advertendæ hic sunt Clausulæ sequentes: Prima sibi que votum præfatum ad hoc tantum, ut matrimonium contrahere legitime possit, dispensando commutes, in qua notanda dictio tantum, quæ denotat commutationem voti tantum fieri ad contrahendum matrimonium, & permittendam copulam matrimonialem, in reliquis vero actibus manere voti obligationem.

4. Secunda: *In frequentiam Sacramentalis Confessionis semel quolibet mense, clara sunt.*

5. Tertia: *Et alia Pœnitentia opera, ut sunt abstinencia ab ovis & lacticinis, jejunium, disciplina, Cilicia & similia. c. Magnæ 7. decreta. Cum vero plura injungi debeant opera, sufficient duo, ne gravetur Pœnitens.*

6. Quarta: *Inter qua sint etiam aliqua pietatis opera, qua quotidie facere teneatur; Talia esse possunt elemosyna, recitatio orationum, auditio Missæ extra obligationem præcepti, & similia. c. Magnæ 7. de voto.*

7. Quinta: *Predicta opera, qua pro commutatione voti imponenda sunt tam diu duratura esse, quamdiu commutationi predicta locus erit. Ideoque dictorum operum obligatio incipit à die matrimonii, & eo per mortem consortis soluto desinit, de quibus monendus est Pœnitens.*

8. Sexta & Septima: *Ita quod si mulieri, cui conjungetur, supervixerit &c. Et si extra Matrimonium fornicatus fuerit &c. Clara sunt; Monendus pro-*  
P inde

inde est vovens de hac limitata dispensatione sibi concessa.

9. His præmissis post solitam absolutionem dicat Confessarius :

*Et Authoritate Apostolica mihi specialiter delegata tibi votum castitatis, quod emisisti, in effectum, ut matrimonium contrahere, & debitum conjugale reâdere, & exigere licite possis & valeas, in opera tibi præscripta, dispensatione commuto. In nomine Patris &c.*

§. 6.

De Commutatione voti simplicis  
Castitatis, & Religionis simul,

1. Si quis petat commutationem voti simplicis castitatis & Religionis, expediuntur Literæ eodem fere modo, & forma. Monendus vero est Pœnitens quod, cum Commutatio illa sit perpetua respectu voti Religionis, licet temporanea sit respectu voti Castitatis, quod reviviscit per mortem conjugis, ideo opera Pœnitentiæ sint quoque perpetua. Si commutetur votum Religionis remanente voto castitatis, observanda sunt dicta §. 4.

2. Forma Commutationis hæc erit :

*Item Authoritate Apostolica mihi specialiter delegata, tibi vota Religionis, & Castitatis*

quæ emisisti ad effectum, ut matrimonium legitime contrahere, & in eo debitum conjugale reddere, & exigere licite possis & valeas, in opera pietatis, quæ tibi præscripsi dispensando commuto. In nomine Patris &c.

S. 7.

De Commutatione votorum Peregrinationis.

1. Vota trium Peregrinationum, videlicet Jerosolymam, ad limina Apostolorum Petri & Pauli, & ad S. Jacobum de Compostella, Sedi Apostolicæ reservata commutari solent ex causa infirmitatis, paupertatis, senectutis aliavè rationabili in alia opera pro arbitrio prudentis Confessarii, v. g. in faciliorem Peregrinationem, eleemosynam, Pœnitentiam aliave pietatis opera.

2. Formula Commutationis, quæ post absolutionem dicitur hæc est:

Item *Authoritate Apostolica mibi specialiter delegata, tibi Votum Peregrinationis, quod emisisti in Peregrinationem, eleemosynam, seu alia pietatis opera, quæ tibi præscripsi, dispensando, commuto. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.*

## P A R S I V.

## De Dispensationibus Matrimonialibus.

## §. I.

*Quaedam Communia omnibus Dispensationibus Matrimonialibus.*

**I**mpedimenta super quibus S. Pœnitentiaria dispensat debent esse occulta, unde dispensationes illius semper hanc Clausulam annexam habent: *Dummodo impedimentum occultum sit, seu occultum remaneat.* Super publicis enim Dataria Apostolica dispensat.

2. Causæ dispensationis veræ sunt, rationabiles, & sufficientes v. g. periculum scandalorum, revelationis impedimenti, perseverantiæ in peccato ob occasionem difficulter removibilem præstitionis vel diffamationis mulieris, vel periculum inimicitiarum, aut alterius damni spiritualis. De quorum veritate diligenter inquirere debet Confessarius, maximè cum agitur de contrahendo.

3. Dispensationes hujusmodi suffragantur tantum in foro conscientiæ. Unde si impedimentum fieret publicum ex  
occul-

occulto, posset Ordinarius loci, vel Parochus. si nollent credere dispensationem esse obtentam, ob scandalum separare. Essent tamen veri Conjuges in foro Conscientiæ, nec peccarent, si debitum mutuo sibi redderent secretè.

4. Ordinarii vero & Parochi, si eis post contractum matrimonium talia impedimenta referantur, non sint faciles ad propalandum per publicam separationem, sed silentio imposito denuntiant, & facta secreta separatione, si Conjuges sint in mala fide, scribant Majori Pœnitentiaro pro dispensatione super impedimento occulto, quamvis secretè denunciato.

5. Dispensationes hæc conceduntur, vel ad effectum contrahendi, vel ad effectum remanendi in matrimonio contracto. Ideo

6. Si dentur ad effectum contrahendi matrimonium, apponitur hæc Clausula: *Aliudq̄ Canonicum non obstat, quod præmissis non obstantibus, matrimonium cum dicta &c. & uterque inter se publicè, servata forma Concilii Tridentini contrahere &c.* Si itaque adsit impedimentum aliud prohibens vel dirimens matrimonium, obtinenda est su-

per illo alia dispensatio ; Si non adsit, potest fieri matrimonium in facie Ecclesiæ non obstante impedimento occulto,

7. Si vero Literæ concedantur ad effectum remanendi in matrimonio contracto, si pro utroque Coniuge consensio impedimenti dentur literæ, apponitur: *Cum eisdem Latoribus, de nullitate prioris consensus certioratis, ut inter se de novo secretè ad evitanda scandala, præmissis non obstantibus, contrahere valeant.* Moneri ergo debent primo Coniuges de nullitate matrimonii ; Deinde per novum consensum denuo secretè contrahere, vel exprimendo illum verbo, nutu, aut copula maritali affectu inter se habenda. Vel, quod securius, per novum secretum contractum coram solo Confessario pronunciante deinde solita verba : *Et ego vos coniungo in matrimonium in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

8. Quod si alter conjux sit inscius impedimenti, apponitur hæc Clausula : *Ut dicta Muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita cautè, ut Latoris delictum nusquam detegatur.* Certioratio hæc magna cum cautela

facienda est, ne pars inscia impedimen-  
ti, cum certior fit de nullitate, resiliat  
à matrimonio. Modus hujus certiora-  
tionis, & renovationis consensus varius  
à DD. assignatur.

9. Primus est : Ut conscius impedi-  
menti dicat ignoranti : Suspicio te non  
esse Uxorem meam aliqua ex causa ; Ideo  
rogo te, ut pro quiete conscientia meæ,  
denuo nos pro Conjugibus habeamus.

10. Secundus ; Si conscius insciae di-  
cat : An taliter eum amet, ut si libe-  
ra esset, etiam adhuc eum in Maritum ac-  
ciperet, si annuat & uterque renovet  
consensum, matrimonium factum est.

11. Tertius, si conscius impedimenti  
dicat se à principio invalide consensum  
præstitisse, & propterea ex consilio  
Confessarii oportere, ut pro securitate  
conscientia ambo invicem consensum  
renovent. Quod si fecerint factum erit  
matrimonium. Qui modus videtur cæ-  
teris præferendus, cum tamen in praxi  
valde periculosus esse possit, monetur  
Confessarius executor, ut implorato Di-  
vino lumine, & examinatis Pœniten-  
tium genis, moribus, affectibus &  
conditionibus, tales in praxi adhibeat  
modos, quos viderit magis expedire, hoc  
semper salvo, ut renovationem con-  
sensus

sensus

sensus utriusque partis injungere non  
omittat.

§. 2.

*De Dispensatione super impedimento  
occulto affinitatis proveniente ex co-  
pula illicita ad contrahendum.*

1. Affinitas ex copula illicita contra-  
hitur cum aliquâ Consanguineâ in primo,  
vel secundo gradu ejus, quam quis vult  
accipere in Uxorem.

2. Hæc affinitas aliquando est sola,  
aliquando conjuncta cum incestu, ut  
v. g. cum quis non solum consanguini-  
neam Mulieris, sed etiam, & ipsam Mu-  
lierem carnaliter cognovit, & tunc gra-  
vius est delictum.

3. Literæ vero dispensationis pro pri-  
mo & secundo gradu affinitatis, non  
differunt substantialiter, sed solum ac-  
cidentaliter.

*Formula Literarum super hujus-  
modi impedimento.*

Leander &c.

Discreto Viro Confessori &c. Salutem in  
Domino. Ex parte Viri Latoris præsentium no-  
bis &c. continebat quod ipse de matrimonio con-  
trahendo tractavit cum Muliere, quam & cu-  
jus

jus Matrem carnaliter cognovit ; Cum autem  
&c dicta carnalis cognitio cum præfata Mu-  
lieris Matre habita sit occulta , & nisi Lator cum  
dicta Muliere Matrimonium contrahat periculum  
immineat scandalorum ; Ideo ad dicta scandala  
evitanda , & pro suæ conscientie quiete cupit  
per Sedem Apostolicam absolvi , secumque di-  
spensari. Quare &c. Nos &c. discretioni tuæ  
commitimus , quatenus , si ita est , dictum lato-  
rem , audita prius ejus Sacramentali Confessione ,  
ac sublata occasione amplius peccandi cum dicta  
Mulieris Matre , ab incestu , & excessibus hu-  
jusmodi absolvas &c. Injuncta ei pro tam enor-  
mis libidinis excessu gravi Pœnitentia salutari ,  
& aliis quæ de Jure fuerint injungenda. Demum  
dummodo impedimentum ex præmissis proveniens  
occultum sit , & aliud , Canonicum non obstet ,  
cum eodem latore , quod præmissis non obsta-  
tibus matrimonium cum dicta Muliere , & uter-  
que inter se publicè , servata forma Concilii Tri-  
dentini contrahere , & in eo postmodum rema-  
nere licitè valeat misericorditer dispenses , prolem  
suscipiendam exinde legitimam pronunciando in  
foro conscientie &c. alio modo &c. Ita quod hu-  
jusmodi absolutio , & dispensatio in foro judi-  
ciario nullatenus suffragentur. Nullis super his  
testibus adhibitis , aut literis datis , seu processu-  
bus confectis , sed præsentibus laceratis , quas  
sub pœna excommunicationis late sententie la-  
cerare

cerare

cerare tenearis neque eas latiori restituas, quod si restitueris nihil ei presentes literæ suffragentur. Datum &c.

4. Notandæ sunt sequentes clausulæ: Prima, *Quatenus si est ita*, id est an vera sint narrata. Secunda: *Audita prius ejus Sacramentali Confessione* nimirum ante absolutionem & dispensationem. Tertia: *Sublata occasione peccandi cum dicta Mulieris Matre*. Debet ergo Pœnitens ante absolutionem tollere occasionem peccandi, præsertim voluntariam; Quo ad necessariam præscribat Confessarius modos, quos tradunt DD. in similibus occasionibus necessariis.

5. Quarta: *Injuncta ei pro tam enormi libidinis excessu gravi Pœnitentia salutari*. Pro arbitrio Confessarii, posset esse v. g. jejunium per sex menses semel qualibet hebdomada, recitatio tertiæ partis Rosarii per tres menses tribus diebus in hebdomada, vel aliud pietatis opus considerata qualitate, statu, sexu & ætate Pœnitentis.

6. Quinta: *Et aliis injunctis, quæ de Jure fuerint injungenda juxta naturam aliorum peccatorum in Confessione*

de.

declaratorum. Sexta: *Demum dummodo impedimentum ex præmissis proveniens sit occultum, quod proinde examinare debet Confessarius.*

7. Septima: *Aliudq̄ Canonicum non obstat, scilicet impedimentum. Quod si esset iterum recurrendum esset ad S. Pœnitentiariam. Octava: Cum eodem Latore, quod præmissis non obstantibus virtute Literarum Confessarius ad executionem gratiæ devenire potest.*

8. Nona: *Matrimonium cum dicta Muliere, & uterque inter se publicè servata forma Concilii Trid. contrahere, id est præviis denunciationibus coram Parocho & testibus. Decima: Et in eo remanere licitè valeant, id est Matrimonium consummare, & debitum conjugale exigere, & reddere.*

9. Undecima: *Prolemque suscipiendam exinde legitimam nunciando, nam ex ipso Matrimonio sublato per dispensationem impedimento nascitur de jure legitima proles. Duodecima: In foro conscientia, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, neque ullo alio modo.*

10. Ter-

10. Tertiadecima: *Ita quod hujusmodi absolutio, & dispensatio in foro judiciali nullatenus suffragentur, si impedimentum ex occulto fiat publicum. Non peccaret tamen si absque scandalo haberet copulam cum sua Conjuges, quia in foro conscientiae cum eo dispensatum fuit.*

11. Quintadecima: *Sed presentibus laceratis, quas sub pœnâ excommunicationis lata sententia lacerare tenearis, ita ut illarum nullum exemplum extet. Hæc clausula moraliter est intelligenda, quando moraliter poterit absque eo, quod delictum Pœnitentis prodat. Sextadecima: *Neq̄ eas Latorî restituas, quod si restitueris, nihil ei presentes Literæ suffragentur. Id est in foro foris nam in foro conscientiae semper validæ manent.**

12. Porro forma dispensationis de contrahendo danda post absolutionem est talis:

*Et insuper Authoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento primi, seu secundi, seu primi & secundi, ex copula illicita à te habita cum Sorore Mulieris, cum qua contrahere intendis, proveniente, ut*

præfato impedimento non obstante matrimonium cum dicta muliere publicè, servata forma Concilii Tridentini contrahere, consummare, ac in eo remanere licitè possis, & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Insuper eadem Auctoritate Apostolica prolem, quam ex matrimonio susceperis legitimam fore nuncio, & declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

13. Eadem forma adaptari poterit, quando copula fuit habita v. g. cum Matre, Amita, Matertera, Consobrina, vel Consanguinea in primo & secundo, vel in secundo gradu tantum, ad quos gradus extenditur impedimentum ex copula illicita proveniens.

14. Gratia dispensationis ad contrahendum concessa uni censetur concessa alteri parti, sive sit conscia impedimenti ante dispensationem, sive post eam illud intellexerit.

§. 3.

*Formula Literarum S. Pœnitentiariae dispensationis super impedimento primi gradus ex copula illicita proveniente ad remanendum, seu de contracto.*

I. Leander &c. Discreto Viro Confessori

Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per Latorem presentium eligendo salutem in Domino. Ex parte Viri Latoris presentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias matrimonium publice in facie Ecclesie contraxit, & successive consummavit cum muliere, cuius Matrem antea carnaliter cognoverat. Cum autem sicut eadem petitio subungebat, dictus Lator ob impedimentum ex premissis proveniens, quod occultum est in dicto matrimonio remanere nequeat absque Sedis Apostolicæ dispensatione ad evitanda scandala, quæ, si divortium fieret inter se, & dictam mulierem, exorirentur, ac pro sue conscientie quiete cupit à premissis, de quibus plurimum dolet, absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicavit humiliter, ut sub super his de opportuno remedio providere digneremur. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ Domini PP. curam gerimus huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica specialiter Nobis concessa discretioni tuæ committimus, quantum, si est ita, dictum Latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione, ac sublata occasione amplius peccandi cum dictæ mulieris Matre, à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter premissa quomodolibet incurrit, incestu & excessibus huiusmodi absolutus hac vice in forma Ecclesie consueta, injuncta

eta ei pro tam enormis libidinis excessu gravi pœnitentia salutari, ac Confessione Sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum, & aliis injunctis, quæ de Jure fuerint injungenda. Demum dummodo impedimentum præfatum occultum sit, & separatio inter Latorem, & dictam mulierem fieri non possit absque scandalo, & ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timendum sit, aliudque Canonicum non obstet, cum eodem Latore, ut dicta Muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut Latoris delictum nusquam delegatur, matrimonium cum eadem muliere, & uterque inter se de novo, secreta ad evitanda scandala, præmissis non obstantibus contrahere, & in eo postmodum remanere licite valeat misericorditer dispenses. Prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientia, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, nec ullo alio modo. Ita quod hujusmodi absolutio, & dispensatio in foro judicario nullatenus suffragentur nullis super his testibus adhibitis, seu literis datis, seu processibus confectis, sed præsentibus laceratis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ lacerare tenearis, ita ut nullum illarum exemplum extet, neque eas Latori restituas; Quod si restitueris nihil eis præsentibus Literæ suffragentur. Datum &c.

2. Præter notatas superius formulas, considerandæ sunt Clausulæ sequentes: Prima, *A quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis*, id est ab excommunicationis sententia, quam incurrunct incestuosi, qui in gradibus prohibitis matrimonium contrahunt, juxta *Clement. unic. de Consang. & affin.* & à quibusvis aliis censuris & pœnis ex quocunque modo provenientius contra incestuosos &c.

3. Secunda: *Ac Sacramentali Confessione quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum.* Statuendi ergo sunt duo minimum menses, expediret ut sex statuerentur.

3. Tertia: *Cum dicto Viro, ut dicta Muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita cautè, ut Latoris delictum nusquam detegatur.* Hujus Clausulæ explicatio supra data est; Cui addi potest, si adsit gravis necessitas, potest matrimonium denuo consistere habita copula affectu maritali à parte conscia impedimenti, nam ex parte alterius cum putet esse matrimonium, constat eo affectu haberi. *Sanchez de matr. l. 2. dis. 39. Concl. ult. n. 8.* Unde in casibus

necessitatis censetur S. Pœnitentiaria, & sancta Sedes remittere de suo stylo, & providere meliori, quo potest, modo de remediis. Et clausula de certioratione partis insciæ non ponitur, ut conditio sine qua non, sed ut instructio Confessarii. Sanchez l. 8. disp. 24. n. 61.

5. Quarta: *Matrimonium inter se de novo secretè ad evitanda scandala, pramissis non obstantibus contrahere, id est prævia renovatione consensus, quæ præcedere debet copulam, cum per eam contrahat matrimonium, alias fornicaretur.*

6. Forma dispensationis de contracto danda post Confessionem Sacramentalem est ista :

*Et insuper Authoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento primi affinitatis gradus ex copula illicita, quam cum Sorore & c. tuæ putatæ Conjugis antea habuisti, ut illo non obstante, renovato consensu cum præfata Conjuge, matrimonium cum illa contrahere, consummare, & in eo remanere licitè valeas & possis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.*

*Et pariter eadem Authoritate Apostolica prolem, si quam susceperis legitimam fore decerno,*

Q

Q

& declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spi-  
ritus sancti, Amen.

7. Si ambo Conjuges sciverint impe-  
dimentum, antequam contraheretur,  
pro utroque rescribit Major Pœniten-  
tarius, & uterque erit in Sacramentali  
Confessione absolvendus, & dispensan-  
dus, utriusque gravis pœnitentia injun-  
genda, & uterque de nullitate prioris  
consensus certiorandus.

S. 4.

*De Formula absolutionis, & dispensatio-  
nis Literarum, qua expediuntur pro iis,  
qui impetrata dispensatione super im-  
pedimento publico, tacuerunt im-  
pedimentum occultum.*

1. Si in Literis expeditis à Dataria  
super impedimento dirimente publico,  
tacetur impedimentum occultum, ideo-  
que Literæ per sub-vel obreptionem  
reddantur nullæ, & fiat recursus ad S.  
Pœnitentiarium, ad contrahendum, sub  
hac vel simili pro diversitate impedi-  
mentorum & obreptionum dispensari  
solet.

Leander &c.

Discreto Viro Confessori Magistro in Theol  
logia

logia, vel Decretorum Doctori per Latores præ-  
sentium ad infrascripta specialiter eligendo salu-  
tem in Domino. Pro parte Viri & Mulieris la-  
torum præsentium Nobis oblata petitio conti-  
nebat, quod ipsi alias, volentes inter se mari-  
monialiter copulari dispensationem super impe-  
dimento tertii Consanguinitatis, seu affinitatis  
gradus, quo invicem sunt conjuncti, seu se at-  
tinent, à Sede Apostolica obtinuerunt tacita  
in dictis Literis copula carnali inter eos secuta.  
Cum autem, sicut eadem petitio subungebat,  
dicta carnalis cognitio sit occulta, & nisi ma-  
rimonium vigore hujusmodi dispensationis in-  
ter Latores contrahatur scandala essent exori-  
tura, ad hæc vitanda, ac pro suæ conscientia  
quiete cupiunt Latores à præmissis, de quibus  
plurimum dolent, per Sedem Apostolicam absol-  
vi, secumque desuper dispensari. Quare suppli-  
carunt humiliter, ut sibi de opportuno remedio  
providere dignaremur. Nos igitur, qui Pœni-  
tentiariae Domini PP. curam gerimus, hujus-  
modi supplicationibus inclinati, auctoritate  
Apostolica Nobis specialiter concessa discretioni  
tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictos  
Latores, audita prius eorum Sacramentali Con-  
fessione, ab incestu & excessibus hujusmodi ab-  
solvas hac vice in formâ Ecclesiæ consuetâ, in-  
juncta eis pro modo culpæ pœnitentia salutari,  
quodque faciant eleemosynam arbitrio tuo in

pauperum subventionem distribuendam, & aliis  
injunctis, quæ de jure fuerint injungenda. De-  
mum, dummodo impedimentum ex incestuosa  
cognitione præfata occultum sit, & nisi matri-  
monium intra Latores contrahatur periculum  
immineat scandalorum, aliudque Canonicum  
non obstet, cum eisdem Latoribus, postquam su-  
per præfato impedimento tertii gradus aliàs legi-  
timè dispensatum fuerit, matrimonium inter se  
publicè, servata formula Concilii Trid. & Lite-  
rarum dispensationis contrahere, & in eo post-  
modum remanere licitè valeant misericorditer  
dispenses; Prolem suscipiendam exinde legitimam  
pronunciando in foro conscientie. &c. ut in an-  
tecedentibus.

3. Præter Clausulas supra notatas  
observandum primò: Quod executio  
Literarum dispensationis; Datarie præ-  
cedere debeat executionem Literarum  
dispensationis S. Pœnitentiariæ.

4. Observandum 2. Eleemosynam omni-  
no esse injungendam etiam pauperi, licet  
unius oboli tantum.

5. Observandum 3. Oratorum Con-  
fessiones separatim debere audiri, & se-  
paratim formam absolutionis & dispen-  
sationis pronunciandam, ut admiratio &  
scandalum præcaveatur.

6. Forma vero dispensationis hæc est

Insuper auctoritate Apostolica, mihi speciali-  
ter delegata, dispenso tecum, super impedimen-  
to ex incestuosa copula, quam cum tua Con-  
sanguinea, seu affine habuisti, proveniente, ut  
præfato impedimento non obstante, matrimo-  
nium cum illa ad formam Literarum dispensa-  
tionis, quam à Sede Apostolica obtinuisti, con-  
trahere licite possis, & valeas. In nomine Pa-  
tris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

S. 5.

Formula dispensationis de contra-  
cto super impedimento reticito  
in Dataria.

Leander &c.

Discreto Viro Confessori &c. Pro parte Viri,  
& mulieris Latorum præsentium Nobis oblata  
petitio continebat, quod ipsi alias vigore Lite-  
rarum dispensationis super impedimento tertii  
Consanguinitatis, seu affinitatis gradus, quo  
sunt conjuncti seu se attinent, à Sede Aposto-  
lica obtentæ, tacita tamen in dictis Literis  
carnali copula inter eos prius secuta, Matrimo-  
nium inter se publicè in facie Ecclesiæ contraxe-  
runt, & successivè consummarunt. Cum au-  
tem, sicut eadem petitio subjungebat, dispen-  
satio ob carnalem copulam hujusmodi in Literis  
non expressam, quæ occulta est, fuerit invalida,  
& propterea Latores in dicto matrimonio reman-  
nere

nere nequeant absque nova Sedis Apostolica di-  
 spensatione. Ideo ad evitanda scandala, quæ,  
 si divortium fieret inter eos, verosimiliter exor-  
 rirentur, ac pro suæ conscientie quiete, cupiunt  
 à præmissis, de quibus plurimum dolent, absolvi,  
 secumque desuper dispensari. Quare supplica-  
 runt &c. Nos igitur &c. Discretionis tue com-  
 mittimus, quatenus, si est ita dictos Latores,  
 audita prius eorum Sacramentali Confessione, à  
 quibus vis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesie-  
 sticis, quas propter præmissa quomodolibet incurve-  
 runt, incestu & excessibus huiusmodi absolvas hæc  
 vice in forma Ecclesie consueta, injuncta eis pro  
 modo culpæ Pœnitentia salutari, quodque faciant  
 eleemosynam arbitrio tuo in pauperum alimenta  
 distribuendo, & aliis, quæ de jure fuerint in-  
 iungenda. Denique, dummodo impedimentum  
 ex incestuosa cognitione præfata proveniens oc-  
 cultum sit, & aliud Canonicum non obstet,  
 cum eisdem Latoribus, quod, præmissis non  
 obstantibus, matrimonium inter se, de novo  
 secreta ad evitanda scandala contrahere, & in eo  
 postmodum remanere licite valeant, misericordi-  
 ter dispenses; Prolem susceptam, si qua sit, &  
 suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro  
 conscientie in ipso actu Sacramentalis Confessionis  
 tantum & non aliter &c.

2. Præter dicta in antecedentibus no-  
 tandum est 1. Incestuosos incurrere ex-  
 com

communicationem, ideo hic à cenfuris absolvuntur. 2. A Latoribus renovandum esse consensum, & matrimonium de novo celebrandum coram Confessario, si fieri potest commodè. 3. Pœnitentes abstinere debere à copula donec per renovationem consensus matrimonium de novo contraxerint.

3. Formula dispensationis faciendæ post datam absolutionem hæc est:

*Insuper auctoritate apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento ex incestuosa cognitione in Literis dispensationis, cujus vigore contraxisti, non expressa proveniente, denuo matrimonium cum illa contrahere renovato consensu, & consummare, ac in eo remanere licitè possis & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

*Pariter eadem auctoritate Apostolica prolem si quam susceperis, & suscepturus sis legitimam esse, & fore decerno, & declaro, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

S. 6.

Formula Dispensationis pro Consanguineis vel affinibus, qui ignorantes gradum prohibitum matrimonium contraxerunt publicationibus in Ecclesia factis.

I. Le-

## I. Leander &amp;c.

Discreto Viro Confessario &c, Pro parte Viri  
& Mulieris Latorum presentium Nobis oblata  
petitio continebat, quod ipsi alias factis procla-  
mationibus in Ecclesia fieri solitis, & nullo de-  
tecto seu denunciato impedimento, quo minus  
possent inter se matrimonium contrahere, illud  
publicè in facie Ecclesie contraxerunt, & succes-  
sivè consummarunt, deinde secretè resciverunt,  
se tertio consanguinitatis seu affinitatis gradu esse  
conjunctos, seu se attinere, & forsan in carna-  
li copula perseverarunt. Cum autem sicut ea-  
dem petitio subjungebat dicti Latores ob impe-  
dimentum ex præfato tertio gradu hujusmodi  
proveniens, quod occultum remanet, in dicto ma-  
trimonio absque Sedis Apostolicæ dispensatione re-  
manere nequeunt. Ideo ad evitanda scandala,  
quæ si divortium fieret inter eos, verosimiliter  
exorirentur, ac pro suæ conscientie quiete cu-  
piunt Latores à præmissis, de quibus plurimum  
dolent, absolvi, secumque desuper dispensari.  
Quare supplicarunt &c. Nos igitur &c. Discre-  
tioni tuæ committimus, quatenus, si ita est, di-  
ctos Latores, audita prius eorum Sacramentali  
Confessione à quibusvis sententiis, censuris, &  
pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quo-  
modolibet incurrerunt, incestu & excessibus  
hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesie  
consueta, injuncta pro modo culpe Penitentia  
salu-

salutari, & aliis, quæ de Jure fuerint injungen-  
da. Demum, dummodo impedimentum ex præ-  
fato tertio gradu hujusmodi proveniens occultum sit, & separatio inter eos fieri non possit  
absque scandalo, aliudque Canonicum non obstet,  
cum eisdem Latoribus, quod præmissis non ob-  
stantibus, matrimonium inter se, de novo se-  
cretè ad evitanda scandala contrahere, & in eo  
postmodum remanere licitè valeant, misericordi-  
ter dispenses: Prolem susceptam, si qua sit, &  
suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro  
conscientiæ &c. Ita quod &c. Nullis &c.

2. Notandum hic Confessariis, Pa-  
rochis, & locorum Ordinariis in hoc  
casu impedimentum, quod occultum  
remansit, non facile esse publicandum  
per publicam separationem, sed silen-  
tio imposito denuntianti, & facta secre-  
tè separatione, si sint in mala fide, si  
vero in bona fide relinquunt illos in hu-  
jusmodi bona fide, & interim scribant  
Majori Pœnitentiarario, ut mittat facul-  
tatem dispensandi super impedimento  
illo occulto.

3. Porro Confessarius post datam ab-  
solutionem à Censuris & peccatis hac  
formâ dispensabit:

*Insuper auctoritate Apostolica mihi  
specialiter delegata dispenso tecum su-  
per*

per impedimento tertii gradus affinitatis, ut illo non obstante cum tua putata Coniuge, prævia revocatione prioris consensus, matrimonium secretè inter te, & ipsam contrahere, & consummare, ac debitum conjugale exigere, & reddere licitè valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti Amen.

Et pariter eadem authoritate Apostolica prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam legitimam esse, & fore decerno, & declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti Amen.

4. Notandum cum dispensatio danda est Mulieri, dicendum est. Cum tuo putato Coniuge, & si sola mulier conficiat impedimenti, ipsi adaptari debet forma. Simili formula datur dispensatio iis, qui matrimonium cum impedimento occulto cognationis spiritualis non detecto in denunciationibus contraxerunt.

§. 7.

Formula pro iis, qui præcedente  
& fide datâ, matrimonium contra-  
here desiderant.

1. Leander &c.

Discreto Viro Confessori. Pro parte Viri &  
Mulieris Latorum præsentium Nobis oblata pe-  
titio continebat, quod ipsi alias vivente adhuc  
alia Latoris Coniuge se carnaliter cognoverunt,  
sibi que fidem invicem dederant de matrimonio  
inter se contrahendo, si Latoris Uxor præmorte-  
retur, qua modo præmorta, neutro tamen La-  
torum in ejus morte machinante, matrimo-  
nium inter se contrahere desiderant. Cum au-  
tem, sicut eadem petitio subjungebat, impedi-  
mentum ex præmissis proveniens occultum sit,  
& nisi matrimonium inter Latores contrahatur,  
periculum imminet scandalorum, vel perseve-  
rantia in peccato; Ideo ad hæc vitanda, &  
pro suæ conscientie quiete cupiunt à præmissis  
de quibus plurimum dolent, per Sedem  
Apostolicam absolvi, secumque desuper dispen-  
sari. Quare supplicarunt &c. Nos &c. Discre-  
tionis tue committimus, quatenus, si estita, di-  
ctos Latores à quibusvis sententiis, censuris, &  
& pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa  
quomodolibet incurrerunt, adulterio, fide data,  
& excessibus hujusmodi absolvas hac vice in  
for-

for-

forma Ecclesie consueta, injuncta eis pro modo culpae pœnitentia salutari, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda. Demum dummodo impedimentum præfatum sit occultum, & nisi matrimonium inter Latores contrahatur periculum immineat scandalorum, vel perseverantiæ in peccato, eisdem Latoribus, quod præmissis non obstantibus, matrimonium inter se publicè, servata forma Conc. Trid. contrahere, & in eo postmodum remanere licite valeant misericorditer dispenses, prolem susceptam (non tamen ex adulterio) & suscipiendam exinde legitimam nunciando in foro conscientie &c. Ita quod &c. Nullis &c.

2. Præter supra notatas Clausulas, observanda est hæc: *Periculum scandalorum, vel perseverantia in peccato.* Sufficit ergo ad dispensandum una ex istis causis,

3. Forma dispensationis hujus formulæ est ista:

*Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento criminis ex adulterio, & fide data proveniente, ut illo non obstante cum muliere corrupta matrimonium publicè, servata forma Conc. Trid. contrahere & consummare, debi-*  
tum

tumque conjugale exigere, & reddere licite possis & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Pariter eadem authoritate Apostolica prolem susceptam, non tamen in adulterio conceptam, & suscipiendam, legitimam fore nuncio, & declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

4. Si dispensatio facta sit cum iis, qui cum occulto impedimento criminis contraxerunt dicitur in forma dispensationis: *Ut illo non obstante matrimonium cum tua putata conjuge contrahere, consummare &c.* Porrò aliæ formulæ circa impedimenta criminis non differunt, nisi in pœnitentiis injungendis.

§. 8.

*Pro eo, qui Consanguineam Uxoris, sive in primo, sive in secundo gradu cognovit.*

1. Quamvis super impedimento occulto affinitatis supervenientis, ad effectum petendi debitum conjugale, possint Ordinarii, aliique privilegium habentes dispensare; Si tamen recurratur ad

ad S. Pœnitentiariam, tali hæc utitur formula:

2. Formula Literarum dispensationis affinitatis supervenientis matrimonio.

Leander &c.

Discreto Viro Confessario &c. Pro parte Viri Latoris presentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse vesana libidine ductus, Sororem suæ propriæ uxoris carnaliter cognovit; Propter quod debitum conjugale petendi jus amisit. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat dictus Lator de tam enormis libidinis excessu, qui occultus est, plurimum doleat, & debitum conjugale exigere licite posse desideret; Ideo pro suæ conscientie quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi, secumque desuper dispensari. Quare &c. Nos &c. Discretionis tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum Latorem antequam prius ejus Sacramentali Confessione postquam omnem recidivæ conversationis occasionem abstulerit, ab incestus excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consuetæ injuncta ei pro tam enormis libidinis excessu gravi Pœnitentia salutari, ac Confessione Sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda, ipsumque Latorem in dicto matrimonio remanere, & debitum conjugale reddere posse, & debere declares; & tamen, si de Latoris

vis incontinentia probabiliter timendum sit, dummodo impedimentum supervenientis affinitatis hujusmodi occultum remaneat, cum eodem Latore, ut præmissis non obstantibus, idem debitum conjugale etiam exigere licite valeat, misericorditer dispenses in foro conscientia. Ita quod &c. Nullis &c.

In Clausulis observanda sunt eadem, quæ in præcedentibus notata sunt.

3. Forma dispensationis danda post absolutionem hæc est:

*Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum, ut non obstante affinitate, quam contraxisti cum tua Uxore ex illicita copula à te habita cum ejus Sorore, debitum conjugale à tua Uxore etiam exigere licite possis, & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.*

*Et pariter eadem auctoritate Apostolica declaro te, non obstante præfata affinitate superveniente, in matrimonio cum tua Uxore remanere illique debitum conjugale reddere posse, & debere. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.*

PARS

## P A R S V.

De formulis absolutionum,  
dispensationum, rehabilitatio-  
num, & fructuum condona-  
tionum.

§. I.

*Prænotanda in his materiis.*

1.

**A** Censuris, & reservatis absolvit, vel mandat absolvi Pœnitentes S. Pœnitentiaria, non solum occultis, sed etiam publicis, ita tamen ut casus occultos committat Confessariis simplicibus, publicos verò Ordinariis.

2. Dispensat vero, rehabilitat, & condonat in occultis tantum, & super his Brevia committuntur ut plurimum Confessariis, quandoque etiam Ordinariis locorum.

3. Casus publici, in quibus ad S. Pœnitentiarum recurritur sunt duo: Injunctio manuum violenta in Clericum, & duellum. Ab his, si Pœnitens absens sit datur facultas absolvendi Ordinariis. Si accedat ad Urbem committitur facultas à Majori Pœnitentiarum alicui ex Pœnitentiis minoribus trium Basilicarum

A qu

A quo absolutus mittitur ad ipsum Ordinarium.

4. Percussor Clerici ad Urbem accedere non valens, si casus sit occultus, remittitur ad Confessarium simplicem. In casibus publicis etiam, si Reus accedere non possit nec ad Urbem, nec ad Ordinarium, & sit in loco ubi non habeatur pro publicè excommunicato Breve dirigitur absque præjudicio ad Confessarium simplicem.

§. 2.

De absolutione ab injectione publica manuum violentarum in Clericum pro non valente accedere ad Urbem.

I. *Formula Literarum, quæ à S. Pœnitentiaria expediuntur pro eo, qui publicè manus violentas in Clericos injecit.*

*Venerabili in Christo Patri Episcopo N. sive ejus Vicario in Spiritualibus Generali.*

*Leander Miseratione Divina Tit. SS. Nerei & Achillei S. R. E. Presb. Card. Colloredus salutem & sinceram in Domino charitatem. Pro parte N. N. Diœcesis N. Latoris præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse aliàs*

R

in

in publica platea præfate Civitatis manus violentas in Clericum N. N. illum præsertim lethaliter in capite vulnerando, iniecit. Propter quod Lator excommunicationem incurrit, & incurrisse à vobis forsàn per publicos Cedulones declaratus fuit. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dictus Lator de præmissis plurimum doleat, ad Urbem vero pro absolutione de super obtinenda personaliter accedere nequeat ob timorem Curie; Ideo pro suæ conscientie quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi. Quare supplicavit humiliter, ut sibi super his de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ Domini PP. curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate Apostolica specialiter Nobis concessa circumspeditioni vestræ committimus, quatenus, si est irædictum Latorem, postquam præfato Clerico, si nondum satisfecit, satisfecerit, vel per eum non steterit, quominus arbitrio vestro satisfaciatur competentem, ab Excommunicationis sententia quam propter præmissa quomodolibet incurrit, sive per Vos, sive per Confessorem à vobis ad id specialiter deputandum, absolvatis hac vice in forma Ecclesiæ consuetæ injuncta ei pro modo culpe Pœnitentiæ salutari, quodque ad Urbem quam primum poterit personaliter accedat, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda. Ita tamen, ut si Lator sententiæ, sive Ordinationi vestræ super præmissis forsàn latæ, seu ferendæ parceret.

parere, & ad Urbem, ut præfertur, venire contempserit, in dictam excommunicationem relabatur eo ipso. Datum &c.

2. Hic observandæ erunt sequentes clausulæ: Primò, examinanda veritas impedimenti non accedendi ad Urbem. Secundò advertenda est hæc clausula: *Postquam præfato Clerico, si nondum satisfecerit, quo minus arbitrio vestro satisfaciat competenter, ut omnino adimpleatur ab Ordinario. Quod si impossibile sit, ut vel in totum, vel in partem satisfaciat Pœnitens, non debet propterea absolutio vel negari, vel diutius, quam par est, differri.*

3. Si enim satisfacere non possit contentus erit Ordinarius præstito juramento satisfaciendi, cum poterit, sed sub pœna reincidentia in excommunicationem, si postea per ipsum steterit, ne parti læsæ satisfaciat. Interim etiam potest Ordinarius, si velit, non permittere, ut habeatur absolutus in loco delicti propter scandalum, quod inde oriri posset, nondum præstita parti satisfactione.

4. Quod si absolutio data sit per subdelegatam facultatem à Confessario in Sacramentali Confessione, poterit fidem

R 2

facere

facere Confessarius de data absolutio-  
ne, vigore cuius deinde Ordinarius po-  
terit per Decretum publicè affixum Pœ-  
nitentem declarare absolutum in foro  
fori, ac si ab ipso Ordinario publicè ab-  
solutus fuisset.

5. Forma vero fidei dandæ posset es-  
se ejusmodi :

*Ego N. N. Confessarius deputatus ab  
Illustriss. & Reverendiss. Domino Epi-  
scopo N. vigore Literarum S. Pœniten-  
tariæ fidem facio, qualiter audiui  
Confessionem Sacramentalem N. N. il-  
lique absolutionem Sacramentalem im-  
pertitus sum in forma Ecclesiæ consuetæ  
non solum à peccatis, verum etiam ab  
excommunicatione, quam ipse N. in-  
currit ob talem causam. In quorum fi-  
dem hoc scriptum dedi, in loco N. die-  
mensis -- Anni &c. Ego N. N. Confes-  
sarius deputatus.*

Hujusmodi delegatio dari potest Con-  
fessario alienæ Diœcesis ab Ordinario il-  
lus loci approbato.

6. Pœnitentiæ injungendæ esse pos-  
sunt Jejunia, preces, Eleemosynæ se-  
cundum qualitatem personæ, & gravi-  
tatem delicti.

7. Clau-

7. Clausula: *Ita tamen, ut si Lator sententia, sive ordinationi vestra super præmissis forsitan lata, seu ferenda parere contempserit in dictam excommunicationem relabatur eo ipso, non est intelligenda ex mente S. Pœnitentiariæ, quod obligentur Pœnitentes ad parendum Ordinario in illis, quæ vel impossibilia sunt v. g. ut valde pauper præstet solutionem gravissimæ summæ, vel admodum difficilia, ut; in contumacia existens eat ad Triremes Sicenim obligaretur Pœnitentes ultra vires naturæ. Sæsus ergo clausulæ est, quod Pœnitens teneatur sub pœna relabendi in excommunicationem parere sententiæ Ordinarii in iis, quæ rationabiliter præstare potest.*

6. Clericidæ ultra jam notata injungenda est Pœnitentia recitandi Officium defunctorum per quinquennium in tribus diebus cujuslibet hebdomadæ, qui, si nesciat legere, potest obligatio in alias preces commutari.

7. Presbytericidæ præter satisfactionem præstandam hæredibus occisi, imponenda est alia satisfactio præstanda Ecclesiæ, in qua occisus fuit intitulatus, hæcque sit pecuniaria, si pœnitens sit dives, eroganda in utilitatem illius Ecclesiæ;

clausulæ;

clesiæ; Si vero pauper fuerit, obligetur arbitrio Ordinarii ad præstandum eidem Ecclesiæ servitium aliquod humile v g. pulsando Campanas, verrendo Ecclesiam. Idem dicendum, si occiderit Prælatum, vel Clericum beneficiatum alicujus Ecclesiæ.

8. Jure presbytericidæ, & mutilantes Presbyteros privantur feudis & Jurispatronatibus, si quæ obtineant ab Ecclesia, cui Sacerdos vel Clericus beneficiatus servivit, c. *Ad aures*, &c. *In quibusdam de pœnis*.

9. Presbytericidæ etiam & eorum Liberi (non vero Nepotes ex *l. liberorum ff. de verb. signif.*) fiunt inhabiles ad beneficia in futurum obtinenda c. *In quibusdam de pœnis*. Non tamen privantur Liberi Beneficiis jam obtentis.

10. Presbytericidis publicis, imponitur pœnitentia quædam publica, nimirum, si non sint Clerici in Sacris constituti, ut per quinque Ecclesias illius loci, ubi facinus perpetrarunt, nudi discalceati, femoralibus duntaxat retentis, virgam in manibus, & corrigiam seu funem circa collum deferendū incedant, & ante januas Ecclesiarum prædictarum à Presbyteris earundem Psalmum *Miserere* canentibus se verberent.

rari faciant. Hujus tamen pœnitentiæ commutatio ex rationabili causa peti potest à S. Pœnitentiaria.

11. Presbytericidæ tenentur, quamprimum possunt ad Urbem accedere sub pœna reincidentia in excommunicationem. Ubi à Regente S. Pœnitentiariæ benigne recipiuntur, & mittuntur ad aliquem Pœnitentiarium trium Basilicarum, à quo peracta Confessione datur illis attestatio in scriptis, quod paruerint mandatis S. Pœnitentiariæ, ut de hoc Ordinariis constet.

12. Si Presbytericidæ ex rationabili causa obtineant à S. Pœnitentiaria commutationem obligationis accedendi ad urbem, & pœnitentiæ publicæ de qua supra n. 10. poterit Ordinarius, cui facultas committitur, commutare obligationem accessus ad Urbem, si Pœnitens sit dives, in Eleemosynas pro rata expensarum, quas fecisset, si ad Urbem accessisset; Si vero sit pauper, in faciliorem peregrinationem, jejunia, preces. Similiter pœnitentiam publicam commutare potest in jejunia, preces, eleemosynas, & peregrinationes, habita ratione conditionis, ætatis, & facultatis Pœnitentis.

## §. 3.

Formula Literarum S. Pœnitentiariæ pro eo, qui ad Urbem pro absolutione ab excommunicatione incurfa ob manus violentas injectas in Clericum accessit, & absolutus ad Ordinarium mittitur.

I. *Venerabili in Christo Patri Episcopo. N.*

Leander &c. *Salutem, & sinceram in Domino charitatem. Pro parte N. N. Diœcesis N. Latoris presentium, Nobis oblata, petitio continebat, quod ipse alias graviter vulneravit Sacerdotem NN propter quod Lator à Vobis excommunicatus declaratus fuit per publicos Cedulaones. Cum autem dictus Lator de præmissis plurimum doleat, & ad Urbem pro absolutione desuper obtinenda personaliter accesserit; Ideo pro suæ conscientie quiete cupit per Sedem Apostolicam ad Vos absolutus mitti. Quare supplicavit &c. Nos &c. autoritate Apostolica specialiter Nobis concessa dictum Latorem ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa quomodolibet incurrit absolutum hac vice in forma Ecclesiæ consueta mittimus. Ita tamen, ut sententiæ, sive ordinationi vestræ super præmissis latæ, seu ferendæ in iis, in quibus adhuc parendum superest parere, ac prædicto*

dicto Sacerdoti, si nandum satisfecerit, satisfacere, quantum per se steterit, omnino debeat. Quod si satisfacere, ac respectivè parere contempserit in dictam excommunicationem relabatur eo ipso. Datum &c.

2. Observandæ hic sunt nonnullæ clausulæ; Prima: *Præfatum Latorem ad vos in forma Ecclesiæ consueta ab excommunicationis sententiâ, quam propter præmissa incurrit absolutum mittimus.* Non ergo absolvi debet iterum ab Ordinario, tanquam minori.

3. Deinde circa hanc: *Ita tamen, ut sententiâ, siue ordinationi vestra super præmissis &c. observanda sunt ea, quæ superius §. præcedente notata sunt.* Præterea cum Pœnitens publicè peccaverit, publica quoque pœnitentia injungi illi potest vel in Ecclesia, vel in Cancellaria Episcopali publice petendo veniam seu ab ipso Ordinario, seu à Clerico percusso; Quamvis hæc publica pœnitentia remitti ei possit, cum publicè pœnituerit per publicum accessum ad Urbem.

4. Notandum, si Pœnitens sit Clericida pro illis verbis: *Ac præfato Clerico, si nondum satisfecit, dicitur:*  
*Here-*

*Heredibus præfati Clerici. Similiter G  
fit Presbytericida dicitur: Heredibus  
præfati Sacerdotis. Et additur: Ac Ec-  
clesiæ, in qua dictus Sacerdos forsam  
intitulatus erat, vel pro illa Ordinario  
loci, si nondum satisfecit, quantum  
per se steterit satisfaciat competenter.*

§. Ordinarii possunt & tenentur re-  
movere Cedulones affixos postquam  
Pœnitentes supradictis modis absoluti  
sunt. Quod si præstare aliquid tenean-  
tur pro Juribus Cancellariæ, cogi ad hoc  
poterunt per incarcerationem, non ve-  
ro per novam declarationem in excom-  
municationem, quæ non est imposta à  
jure pro Juribus Cancellariæ.

§. 4.

*Formula, qua datur facultas Confessa-  
riis absolvendi Percussorem, aut  
occisorem Clerici.*

I. In casibus occultis hac formula da-  
tur à S. Pœnitentiaria Confessariis pote-  
stas absolvendi percussores, mutilato-  
res, aut occisores Clericorum, Sacerdo-  
tum, aut Religiosorum.

Leander &c. Discreto Viro Confessori &c.  
Pro parte Viri Latoris præsentium Nobis oblato  
peti

petitio continebat, quod ipse alias manus violentas in quendam Clericum iniecit, propter quod Lator excommunicationem incurrit. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat dictus Lator de præmissis, quæ occulta sunt, seu ad forum Ordinarii minimè deducta fuerunt, plurimum doleat; Ideo pro suæ conscientia quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi. Quare &c. Nos &c. Discretionis tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum Latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione, postquam prædicto Clerico, si nondum satisfecerit, satisfecerit, vel per eum non steterit, quo minus arbitrio tuo satisfaciat competenter, caute tamen, ne se prodit, ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa quomodolibet incurrit, absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis, quæ de Jure fuerint injungenda, in foro conscientia, & in ipso actu Confessionis Sacramentalis tantum, & non aliter, neque ullo alio modo. Ita quod, si præmissa ad forum Ordinarii devenire contigerit, & Lator sententiæ, seu ordinationi præfati Ordinarii parere contempserit, in dictam excommunicationem relabatur eo ipso. Datum &c.

2. Hic nonnulla sunt advertenda, Primo: Eadem in foro secreto observanda esse, quæ servanda præscribuntur.

tur.

tur §. 2. Ordinariis in foro fori, habita solum differentia publici & occulti.

3. Deinde examinare debet Confessarius, an delictum sit occultum, si enim sit publicum, gratia est nulla.

4. Ob clausulam: *Cautè tamen ne se prodat*, magna cautela & prudentia uti debet Confessarius, ne resarciendo damnum parti læsæ delictum Pœnitentis detegatur. Quod si tunc Pœnitens non possit satisfacere, exigendum est ab eo iuramentum de satisfaciendo, cum primum potuerit, eumque absolvet protestando, quod si satisfacere contempnat, reincidat in excommunicationem.

5. Confessarius attestari poterit in scriptis se pœnitentem absolvisse cum obligatione parendi sententiæ Ordinarii sub pœna relapsus in excommunicationem casu, quo delictum aliquando fiat publicum.

6. Presbytericida absolvetur cum onere faciendi publicam pœnitentiam, de qua supra, si delictum detegatur, quod promittet sub iuramento.

§. 5.

*Formula Literarum directarum ad Confessarium ad absolvendum Clerici Percussorem, qui neq̄ ad Ordinarium suum, neque ad Urbem personaliter accedere potest.*

I. Leander &c. Discreto Viro Confessario &c. Pro parte Viri Latoris præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias Clericum graviter vulneravit, propter quod excommunicationem incurrit. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dictus Lator de præmissis plurimum doleat, & tutum accessum pro absolute desuper obtinenda, nec ad Urbem, nec ad Ordinarium habeat; Ideo ne in hujusmodi excommunicatione sordescere cogatur, cupit pro suæ conscientie quiete per Sedem Apostolicam absolvi. Quare &c. Nos &c. Discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum Latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione, postquam prædicto Clerico, si nondum satisfecerit, vel per eum non steterit, quo minus arbitrio tuo satisfaciat ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa quomolibet incurrit, & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesie consueta, injuncta ei pro modo culpe pœnitentia salutari, & aliis, quæ de Jure fuerint injungenda, in foro  
con.

conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter; Ita quod Lator in loco, ubi habetur pro publicè excommunicato, non habeat se pro absoluto, nullis super hoc Testibus adhibitis, aut Literis datis, aut processibus confectis, sed presentibus laceratis, quam sub pœna excommunicationis latæ sententiæ lacerare tenearis. Datum &c.

2. Hic præcipuè observandæ sunt clausulæ. 1. Quod à Confessario veritas causæ non accedendi sit examinanda. 2. Satisfactio, pœnitentia, & obedientia sententiæ Ordinarii injungenda. 3. Injungendus accessus ad Urbem, ut primum poterit, sub pœna relapsus. 4. Monendus Pœnitens, ne in loco, ubi delictum notum est, gerat se pro publicè absoluto. 5. Absolutio tantum in foro conscientiæ suffragetur. 6. Literæ Confessario sub excommunicatione statim sint lacerandæ.

3. Forma absolutionis in hoc & similibus casibus est hujusmodi:

*Dominus noster JESUS Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius, & auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata absolvo te in primis ab excommunicationis sententia, quam incurristi ob manus violentas injectas in*

Clericum, & ab omni alio vinculo excommunicationis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges.

§. 6.

De formulis absolutionum à Censuris, & simul dispensationum super irregularitate.

1. Notandum, quod quamvis S. Pœnitentiaria absolvat à Censuris in casibus publicis, non dispensat tamen super irregularitate cum secularibus, nisi in casibus occultis; Ideo cum his dispensatur semper cum clausula: *Dummodo præmissa sint occulta.*

2. Irregularitas ex homicidio voluntario est reservata S. Pœnitentiariæ. Super qua peti potest dispensatio vel à Laico, ut promoveri possit ad ordines, vel à Clerico ut ad ulteriores ordines promoveri possit aut eos quos habet exercere, vel à Sacerdote, ut in suis Ordinibus ministrare possit. Requiritur vero valde gravis causa, ut cum his dispensetur, præsertim cum primo & secundo, & si dispensetur ad dictos effectus, non ideo tamen dispensatio facta est ad Beneficia obtinenda, sed alia

alia ad hunc effectum requiritur, quæ etiam difficulter admodum conceditur.

3. Formula dispensationis pro eo, qui homicidium voluntarium commisit, hæc est:

Leander &c.

*Discreto Viro Confessario. Pro parte Viri secularis studiosi Latoris presentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias timens sibi mortem à quodam Viro illum præveniendò interfecit. Cum autem dictus Lator reperitur de presenti in quodam Seminario, ubi adest obligatio Ordines etiam sacros. & Presbyteratus suscipiendi, quos ipse lator suscipere posse desiderat, ne se detegat reum alicujus commissi delicti; Ideo pro suæ conscientia quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi, secumq; desuper dispensari. Quare &c. Nos &c. Discretionem tuam committimus, quatenus, si est ita, dictum Latorcm, audita prius ejus Sacramentali Confessione, à quibusvis sententiis, Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quæ propter præmissa quomodolibet incurrit*

homicidio & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta ei pro modo culpæ gravi, & diuturna pœnitentia salutari, nec non Hæredibus occisi in eo, in quo tenetur satisfaciat, cautè tamen, ne se prodat, nec non ad quæcunque Beneficia in futurum obtinenda perpetuo remaneat inhabilis, & aliis, quæ de Jure fuerint injungenda. Demum, dummodo præmissa occulta sint, & Lator absque scandalo, & periculo se detegendi reum delicti commissi, à promotione ad Ordines abstinere nequeat cum eodem Latore suffragantibus sibi dignis pœnitentiæ fructibus & meritis, alioque ei Canonico non obstante, super irregularitate per eum ex præmissis quomodolibet contracta, quoque illa & aliis præmissis non obstantibus, Clericali characterè insigniri, & ad omnes etiam sacros, & ad Presbyteratus Ordines, si ad id alias idoneus reperiatur, promoveri, & postquam promotus fuerit, in illis etiam in Altaris ministerio ministrare licite valeat, misericorditer dispenses in foro conscientiæ &c. Alio modo &c. Ita, quod &c. suffragentur &c. Datum &c.

4. Advertendæ hic sunt præcipuè Clausulæ sequentes: *Injuncta ei gravi, & diuturna salutari pœnitentia.* Imponi ergo posset jejunium bis in hebdomada, recitatio Psalmorum pœnitentialium genibus flexis semel in septima-

S

na,

na, aliaque similia, & hæc saltem per annum.

5. Ob Clausulam: *Nec non Heredibus occisi in eo, in quo de Jure tenetur satisfaciat, cautè tamen, ne se prodatur,* præstanda est satisfactio juxta modum jacturæ, quam hæredes passi sunt ex morte occisi; Cautè tamen, ideoque fieri posset per ipsum Confessarium, vel aliam personam, cui fidendum sit. Si vero pœnitens ob pauperiem satisfactio- nem præstare nequeat, promittat se satisfacturum, quando ad meliorem fortunam perveniet, quia ad impossibile nemo tenetur.

6. Quod si Pœnitens jam satisfecerit Hæredibus, & peccatum confessus gravem & diuturnam pœnitentiam accepisset, mitius ab Executore Literarum tractandus esset.

7. Ex Clausula: *Quod remaneat inhabilis ad Beneficia Ecclesiastica in futurum obtinenda* colligitur, quod si ante Homicidium habuerit Beneficium, eo ipso facto non privetur, licet per sententiam privari possit.

8. Examinandum est deinde diligenter per Confessarium, an orireretur scandalum, vel periculum detegendi reum, si  
non

non dispensaretur. Atque etiam examinandus est Spiritus contritus Pœnitentis, & merita illius; Si enim malæ inclinationis & indolis esset, suadendum illi foret, ut amplectatur alium statum, in quo securius salutem suam operetur.

9. Per Clausulam: *Alioque ei Canonico non obstante*, id est, *impedimento* instruitur Confessarius, quod si Pœnitens alio irretitur impedimento Canonico non dispensatur, sed super eo alia à S. Pœnitentiaria obtineri debet dispensatio.

10. Per hanc: *Quatenus ad id alias idoneus reperiatur* non intelligitur, quod Confessarius debeat examinare Pœnitentem super doctrina & capacitate, sed hoc relinquendum est Ordinario, à cujus examine per dispensationem super Irregularitate non eximitur.

11. Forma absolutionis & dispensationis in hoc casu est illa:

*Misereatur tui &c. Indulgentiam &c. Dominus noster JESUS Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius, & auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata absolvo te in primis à quibusvis sententiis, censuris & pœnis Ecclesia-*

clesiasticis, quibus propter ea, que confessus & quomodolibet innodatus existis, & pariter eadem autoritate absolvo te à peccatis tuis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Et pariter eadem autoritate Apostolica tecum dispenso super Irregularitate, quam ex homicidio contraxisti ut illa non obstante Clericali caractere insigniri, ac Ordines etiam sacros, & Presbyteratus suscipere, & postquam susceperis, in illis etiam in Altaris ministerio ministrare licite possis, & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Passio Domini nostri JESU Christi &c.

Quæ formula servatur etiam, quando dispensatur cum Clericis, sive in minoribus Ordinibus, sive in sacris existentibus, & etiam cum Sacerdotibus, & tunc dicitur in forma dispensationis: Ut illa non obstante in sacris Ordinibus etiam in Altaris ministerio ministrare licite possis, & valeas. In nomine Patris &c.

§. 7.

De Literis dispensationis ab Irregularitate proveniente ex defectu occulto Natalium.

1. Dispensat etiam S. Pœnitentiaria in hoc casu, dummodo occultus sit, & subsit rationabilis aliqua causa, neque tam gravis & urgens requiritur, quam cum dispensatur super Irregularitate orta ex Homicidio.

2. Advertendæ vero sunt à Confessario hæ Clausulæ: Quod examinare debeat, an defectus sit occultus; An causa pro obtinenda gratia sit vera; Dispensatio facienda sit post Confessionem Sacramentalem; Præter ea, quæ præcedenti notata sunt.

3. Forma dispensationis à defectu natalium est ista:

*Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata tecum dispenso super defectu Natalium, & Irregularitate inde proveniente, ut præfato defectu, & Irregularitate non obstante Clericali charactere insigniri, & ad omnes etiam sacros & Presbyteratus Ordines promoveri, & promotus in eis ministrare licite possis & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.*

S 3

§. 8.

## §. 8.

## De Literis rehabilitationum.

1. Dispensatio ab inhabilitate, seu rehabilitatio aliquando datur cum absolutione, aliquando non; Sacra Pœnitentiaria enim non semper dispensat, cum absolvit, nec semper rehabilitat cum dispensat; Aliquando tamen absolvit, dispensat & rehabilitat, sed id rarius, & non nisi ex gravissima causa.

2. Quamvis in Literis dispensationis non committatur absolutio, dispensatio nihilominus danda est in Sacramentali Confessione. Inhabilitas vero Clericorum privat capacitatem obtinendi in futurum Beneficia Ecclesiastica, & inhabilitas Regularium voce activa & passiva quo ad officia, & dignitates.

3. Nunc formulas duas subjiciemus, primam absolutionis, & rehabilitationis simul, deinde §. seq. rehabilitationis tantum.

*Formula Literarum absolutionis, dispensationis & rehabilitationis pro Sacerdote Simoniaci.*

Leander &c. Discreto Viro Confessori &c.  
Pro parte Sacerdotis Latoris presentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias quod-

dam Beneficium Ecclesiasticum Simoniacè obtinuit, & deinde in suis Ordinibus se exercuit, fructusque ex præfato Beneficio recepit. Cum autem dictus Lator de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat, præfatumque Beneficium dimiserit, suosque ordines deinceps exercere, ac Beneficia Ecclesiastica recipere licitè posse desideret; Ideo pro suæ conscientie quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi, secumque desuper dispensari. Quare &c. Nos &c. Discretionis tuæ committimus, quatenus si est ita, dictum Latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione dummodo cum effectu præfatum Beneficium Simoniacè obtentum dimiserit, & non aliter, à quibusvis sententiis, Censuris & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, Simoniacæ labe, & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, quodque culpabiles in præfata Simoniacæ labe, quantum potest, moneas ad impetrandam à Sede Apostolica absolutionem, nec non fructus à se ex præfato Beneficio perceptos, prout de jure restituat, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda; Demum dummodo præmissa occulta sint, cum eodem Latore suffragentibus sibi dignis pœnitentiæ fructibus, & meritis, alioque ei Canonico non obstante, super Irregularitate per eum ex præmissis quomodolibet contractæ, quodque illa, & aliis præmissis

missis

missis non obstantibus, in suis ordinibus ministrare, ac Beneficia Ecclesiastica non tamen illud, super quo fuit commissa Simonia, quatenus ei alias Canonice conferantur, recipere, & retinere licite valeat, misericorditer dispenses in foro conscientiae &c. alio modo &c. suffragentur &c. Datum &c.

4. Hic examinanda sunt à Confessario 1. An narrata sint occulta, quæ est conditio sine qua non. 2. Veritas causæ finalis. 3. An pœnitens Beneficium Simoniacè obtennum actu dimiserit. 4. Pœnitentia aspera injungenda, & Complices inducendi ad impetrandam à Sede Apostolica absolutione. 5. Injungenda fructuum malè perceptorum restitutio pauperibus vel Ecclesiæ.

5. His præmissis formula absolutionis à Simonia est hujusmodi.

*Dominus noster JESUS Christus &c.*

*Et ego auctoritate ipsius, & auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata te in primis à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter Simoniam incurristi, & eadem auctoritate absolvo te à peccatis tuis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.*

Et

Et insuper eadem auctoritate Apostolica tecum dispenso super Irregularitate, quam ex Simonia, & ex violatione postea contraxisti, ut illa non obstante, in tuis Ordinibus, etiam Altaris ministerio ministrare, ac Beneficia, si qua tibi alias Canonicè conferantur, non tamen Beneficium, quod simoniacè obtinuisti, & dimisisti, recipere, & retinere licitè possis, & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

§. 9.

Formula rehabilitationis ad Beneficia obtinenda.

I. Leander &c. Discreto Viro Confessario. Pro parte Sacerdotis Latoris presentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias à Sacra Pœnitentiaria absolutionem & dispensationem super Irregularitate per eum contracta obtinuit, cum hoc tamen inter cætera... ut ad quæcumque Beneficia Ecclesiastica in futurum obtinenda perpetuo remaneret inhabilis. Cum autem dictus Lator hujusmodi inhabilitatem per aliquod tempus sustinuerit, & pressus sive propria sive suorum paupertate, Beneficia recipere licitè posse

possederet; Ideo pro sua conscientiae quiete cupit Sedem Apostolicam secum desuper dispensari, Quare &c. Nos &c. Discretionem tuam committimus, quatenus, si est ita, cum dicto Latore, audita prius ejus Sacramentali Confessione, dummodo suffragentur sibi digni Pœnitentiæ fructus, & merita, salvis aliis remanentibus, omnibus aliis sibi in prædictis absolute, & dispensatione impositis, quod, præmissis non obstantibus, quæcunque Beneficia Ecclesiastica, sive cum cura, sive sine cura, quatenus illa ei aliis Canonice conferantur, recipere, retinere, fructusque recipere licite valeat, misericorditer dispenses in foro conscientiae &c. Alio modo &c. Suffragentur &c. Datum &c.

2. Hic examinare debet Confessarius, an causa finalis verificetur, & an Pœnitens redditus sit dignus illa gratia. Juxta merita quoque Pœnitentis Pœnitentia aliqua quando rehabilitat ad Beneficia simplicia, aliqua quando cum cura.

3. Post absolutionem à censuris, & à peccatis fit rehabilitatio, seu dispensatio juxta hanc formam:

*Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata tecum dispenso, ut non obstante inhabilitate ad Beneficia Ecclesiastica, qua detineris, quæcunque Beneficia Ecclesiastica, tam cum*

Cura, quam sine cura, quatenus tibi alias  
Canonicè conferantur recipere, & re-  
tinere, fructusque eorum percipere li-  
cite possis, & valeas. In nomine Patris,  
& Filii, & Spiritus sancti, Amen.

§. IO.

Defructuum male perceptorum ex  
Beneficiis Ecclesiasticis con-  
datione.

1. Fructus male percipiuntur, vel ob  
non recitationem horarum Canonica-  
rum, vel ob nullitatem tituli Benefi-  
cii. Fructus male perceptos condonat  
S. Pœnitentiaria Sacerdotibus pauperi-  
bus mediante aliqua eleemosyna, diviti-  
bus per compositionem; In utroque ve-  
ro casu requiritur, ut obligatio restituen-  
di sit occulta, nam in publicis est recur-  
rendum ad Datariam.

2. Formula condonationis fructu-  
um male perceptorum ob non recita-  
tionem Horarum Canoniarum.

Leander &c. Discreto Viro Confessario  
Pro parte Latoris præsentium Nobis oblata pe-  
titio continebat, quod ipse alias Beneficium Ec-  
clesiasticum possidens, Horas Canonicas recitare  
omisit, & tamen fructus ex præfato Beneficio sem-  
per

per perceptit. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat dictus Lator de præmissa omissione recitationis officii, quæ occulta est, plurimum doleat, fructusque male perceptos ob suam paupertatem restituere nequeat; Ideo pro suæ conscientie quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi, & sibi fructus huiusmodi condonari. Quare &c. Nos &c. Discretionis tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum Latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione ab omissione recitationis huiusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis quæ de Jure fuerint injungenda. Demum, dummodo occultum sit Latorem teneri ad huiusmodi fructuum restitutionem, & ei suffragentur digni pœnitentiæ fructus, & merita, & adeo pauper sit, ut nec prout de Jure fructus restituere, nec cum S. Pœnitentiaria componere possit, eidem Latore fructus omnes malè perceptos, mediante aliqua elemosyna, à te arbitrio tuo taxanda & distribuenda in pauperum subventionem, & utilitatem Ecclesiæ, in qua situm est Beneficium gratiosè remittas, & condones in foro conscientie &c. Alio modo &c. Suffragentur.

3. Præter clausulas in supradictis aliquoties notatas, examinandum est an motivum gratiæ sit verum. Deinde illa clausula: *Et suffragentur ei digni fructus*

*Etus pœnitentia, & merita*, id est, an per bonos mores vitam emendaverit, & Horas Canonicas notabili tempore juxta obligationem recitaverit. Demum in elemosyna taxanda discretionem adhibeat Confessarius, quæ si non potest esse pecuniaria, sit saltem cibi, aut potus, aut hospitalitatis, aut alicujus subventionis pauperibus, vel Ecclesiæ impendendæ.

4. Forma condonationis fructuum male perceptorum post absolutionem à censuris, & peccatis hæc pronunciat: tur:

*Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata fructus, quos ex tuo Beneficio male percepisti, ob non recitatas Horas, mediante elemosyna tibi imposta, gratiose tibi remitto, & condono. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.*

## P A R S VI.

De formulis Absolutionum, & Dispensationum in utroque foro pro Regularibus, & ingredi volentibus Religionem.

**S**acra Pœnitentiaria habet facultatem absolvendi Regulares, & volentes ingredi

gredi Religionem, cum iisque dispensandi in utroque foro, ideoque aliquæ formulæ Absolutionum magis necessariae & sæpius occurrentes hic subjiciuntur, prænotando, quod hujusmodi literæ non solent concedi, nisi Superiorum supplicatio, aut consensus accedat.

## S. I.

*De Literis dispensationis pro volente ingredi Religionem.*

I. Formula pro eo, qui homicidio commisso Religionem ingredi desiderat.

Leander &c. Discreto Viro &c. Ex parte Viri secularis Latoris presentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias homicidium commisit, nunc vero ad peragendam suorum peccatorum pœnitentiam Religionem ingredi, ibique professionem à Clericis emitti solitam, emittere Regularem, & post illam emissam, ad omnes etiam sacros, & Presbyteratus Ordines promoveri licite posse desiderat. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dictus Lator hujusmodi suum desiderium adimplere nequeat absque Sedis Apostolicæ dispensatione, obstantibus scilicet tum ejusdem Sedis Apostolicæ; tum Religionis, seu Ordinis, quem ingredi intendit, Constitutionibus

bus; Ideo pro sua conscientie quiete, cupit per Sedem Apostolicam in utroque foro absolvi, secumque desuper dispensari. Quare &c. Nos &c. Discretioni tue committimus, quatenus si est ita, Latorem, dummodo cum Fisco, & Parte concordaverit, à quibusvis Sententiis, Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum infrascriptum duntaxat in utroque foro absolvas hac vice in forma Ecclesie consueta, injuncta ei pro modo culpæ pœnitentia salutari. Demum cum eodem Latore, suffragantibus sibi dignis pœnitentiæ fructibus, & meritis, alioque ei Canonico non obstante, super Irregularitate, per eum ex præfato Homicidio quomodolibet contracta, quodque illa, & aliis præmissis non obstantibus, Religionem, non talem militarem, vel hospitalarem, sed ubi vigeat regularis observantia, dummodo benevolos invenerit Receptores, ingredi, ibique peracto probationis anno, professionem à Clericis emitti solitam, emittere regularem, & post illam emissam, & non aliter, Clericali charactere insigniri, & ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, si ad id alius idoneus reperiat, & postquam promotus fuerit, in illis etiam in Altaris ministerio, non tamen in loco commissi delicti, & in spatio viginti milliariorum à prædicto loco, ministrare licite valeat, in utroque foro dispenses, non obstantibus præmissis, & Constitutionibus,

&

& Ordinationibus Apostolicis, nec non Religio-  
nis, seu Ordinis, quem Lator ingredietur, sta-  
tutis ac privilegiis quibuscumque. Datum &c.

2. Notandum hic est. 1. Dandum non  
esse ab Executore absolutionem, & di-  
spensationem, nisi facta prius Fisco &  
Parti satisfactione. 2. Nec absolvi, nec  
dispensari nisi ad effectum ingrediendi  
Religionem. 3. Dispensationem ad susci-  
piendos Ordines non suffragari, nisi post  
emissam professionem. 4. Possesse Super-  
riorem Religionis recipere Oratorem ad  
habitum & professionem, non obstanti-  
bus Constitutionibus Apostolicis, &  
Ordinis.

3. Executio gratiæ hujusmodi Litera-  
rum, fit modo sequenti Superior sedens  
cum cotta, & stola, præsentibus Secre-  
tario, & duobus, vel tribus Religio-  
sis sui Ordinis, habens in manibus Lite-  
ras Sacræ Pœnitentiariæ dicat:

Nos Abbas seu Provincialis &c. auctoritate  
Apostolica Nobis specialiter delegata per præsentem  
Literas absolvimus te N. à quibusvis sententiis,  
censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quibus quom-  
modolibet innodatus existis ad effectum, ut licite  
consequi valeas gratiam dispensationis, mox tibi  
impertiendæ. In nomine Patris, & Filii, &  
Spiritus Sancti, Amen. Et tibi injungimus pro  
pœnitentiâ salutari, ut per tres menses (exem-

pli gratia ) jejunes semel in Hebdomada, & tribus vicibus singulis Hebdomadis Officium Defunctorum recites.

Et pariter eadem auctoritate Apostolica te-  
cum dispensamus super Irregularitate, quam ex  
homicidio contraxisti, ut ea non obstante nostram  
Religionem ingredi, in eaque, prævio Novi-  
tius anno, professionem regularem emittere,  
& post emissam, & non aliter Clericali chara-  
ctere insigniri, & Ordines etiam Sacros, &  
Presbyteratus suscipere licite possis, & valeas.  
In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti.  
Amen.

Item ad effectum, ut tu hujusmodi absolutio-  
nis, & dispensationis gratiam consequi possis, ea-  
dem auctoritate Apostolica derogamus, tam nostri  
Ordinis, quam Sedis Apostolicæ Constitutionibus,  
monendo te, quod si in nostro Ordine profes-  
sionem non emiseris, nihil tibi præsens gratia suffra-  
getur.

Deinde rogetur Secretarius, ut datam  
esse hujusmodi absolutionem, & dispen-  
sationem notet in tergo Brevis, illud-  
que reponatur in Archivio Monasterii,  
vel Provinciæ.

§. 2.

Formula Literarum pro Religioso  
Censuris Ecclesiasticis innodato, & Irre-  
gularitate ex violatione Censurarum ir-  
retito pro utroq; foro in factis publicis.

T

i. Le-

## I. Leander &amp;c.

*Religioso Viro Provinciali, seu Abba-  
ti salutem in Domino.*

Pro parte N. Religiosi professi Sacerdotis Reli-  
gionis N. &c. Nobis oblata petitio continebat,  
quod ipse aliàs ausus fuit ex Bibliotheca sui Con-  
ventus aliquot libros extrahere : Propter quod  
Lator inquisitus, & processatus à suis Superiori-  
ribus, fuit inter alia declaratus excommuni-  
catus, & propter violationem Censuræ Excom-  
municationis Irregularis, & inhabilis ad offi-  
cia, & dignitates Religionis. Cum autem dic-  
tus lator de præmissis plurimum doluerit, & do-  
leat, pœnas, & pœnitentias sibi à Superioribus  
impositas peregerit, librique extracti fuerint in  
prædicta Bibliotheca repositi, & Lator sue Re-  
ligioni onerosus, & inutilis existat, suos Ordi-  
nes exercere, ac officia, & dignitates Religi-  
onis assequi licite posse desideret : Ideo pro sue  
conscientiæ quiete cupit, per Sedem apostolicam  
in utroque foro absolvi, secumq; desuper dispensari.  
Quare etiam pro parte Procuratoris Gene-  
ralis Ordinis Nobis humiliter supplicare fecit,  
ut sibi &c. Nos Discretionis tuæ committimus,  
quatenus, si est ita, dictum Latorem ab ex-  
communicatione aliisque sententiis, censuris, &  
pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quo-  
modolibet incurrit, in utroq; foro absolvas hoc  
Vice in forma Ecclesiæ consuetæ, injuncta

Pro modo culpæ Pœnitentia salutari, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda. Demum cum eodem Latere, suffragantibus sibi dignis Pœnitentiæ fructibus, & meritis, aliisq; ei Canonico non obstante super irregularitate per eum ex præmissis quomodolibet contracta, quodq; i'la, & aliis præmissis nõ obstantibus in suis Ordinibus etiam in Altaris ministerio ministrare, ac officia, & dignitates suæ Religionis, si ad illas Canonicè, & juxta regularia instituta eligatur, vel assumatur assequi, eaq; gerere, exercere, vocemque activam & passivam habere licitè valeat in utroque foro dispenses, & in integrum statum restituas, & reintegres, non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus Apostolicis, nec non dictæ Religionis Statutis, & Privilegiis, ceterisq; contrariis quibuscumq;. Datum &c.

2. Hæc formula datur in exemplum aliarum gratiarum. Notandum vero hic est primò, quod concedatur hic absolutio, dispensatio, & rehabilitatio, idque intuitu etiam supplicationis Procuratoris Generalis, cum non concedatur gratia in utroque foro Religiosis, nisi supplicantibus pro illis Superioribus.

3. Notandum secundo, quod cum pœnitentia injungenda relinquatur arbitrio Superioris, relinquatur quoque ejusdem judicio, quæ gravis, diuturna, vel gravissima sit pœnitentia.

T 2

4. No-

4. Notandum tertio aliquando dispensari cum Religiosis absque absolute, ut si conferre se velint ab una Religione ad aliam, vel cum dispensatio fit super defectu Natalium ad officia, & dignitates Religionis, vel super defectu oculi Canonici, aliove. Si dispensetur super defectu oculi Canonici, vel alia corporis deformitate, diriguntur Literæ ad Episcopos, vel Ordinarios locorum, ut ii considerent, an defectus præstet impedimentum in Divinis, & scandalum generet in populo.

5. Porro executio gratiæ fit forma & modo supra §. 1. notato, nimirum sedens Superior cum Cotta, & stola præsentibus Secretario, & duobus, vel pluribus Religiosis sui Ordinis, habens in manibus Literas S. Pœnitentiariæ dicit:

*Nos Abbas seu Provincialis &c. Authoritate Apostolica nobis specialiter delegata per præsentis literas absolvimus te N. à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum, ut licitè consequi valeas gratiam dispensationis, mox tibi impertienda. In Nomine Patris, & Filii*

Et Spiritus sancti. Amen. Et tibi injungimus pro pœnitentia salutari, ut (exempli gratia) per Hebdomadam ter recites septem psalmos pœnitentiales.

Et pariter eadem Authoritate Apostolica tecum dispensamus super irregularitate, quam ex violatione censurarum contraxisti, ut ea non obstante in tuis Ordinibus, etiam in Altaris ministerio ministrare, ac officia, et dignitates Nostri Ordinis assequi, eaque gerere, exercere, vocemque activam, et passivam habere licite possis et valeas. In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Et insuper eadem Authoritate Apostolica te in pristinum statum restituimus, et reintegramus. In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Hæc forma servire poterit in aliis quoque casibus adaptando eam casibus in Literis S. Pœnitentiariæ expressis.